John Carter Brown
Library
Brown University

ISAACI VOSSII

CASTIGATIONES AD SCRIPTUM GEORGII HORNII DE ÆTATE MUNDI.

HAGÆ-COMITIS,

Ex Typographia ADRIANI VLACQ.

M. DC. LIX.

ILLUSTRISSIMO VIRI,

GODEFRIDO SLINGELANDIO

FEDERATI BELGII

NOMINE AD COMPONENDOS

SEPTENTRIONIS REGES

LEGATO

ISAACUS VOSSIUS

FELICITATEM.

OMMUNIS est opinio, Vir Illustrissime, Fortunam esse benignam ijs, qui casu potius, quam ratione reguntur. Licet vero hoc sæpissime alias contingat; in ijs tamen, quæ sola constant ratione, id se aliter habere exemplo esse possit scriptum, quod ante aliquot dies Leidæ prodijt, quod vidisse te scio, an etiam legeris, nescio. Auctor ejus nullo non armorum genere oppugnat calculum quem nuper divulgavimus: omnia undique corradit; postquam vero ipsum alia deficiunt tela, mutato pugnæ genere, è grandibus balistis &

catapultis caſſas in nos jaculatur nuces. Quamvis autem difficile ſit nunquam ſcopum adtingere, adeo tamen hac in parte ipſe ſibi conſtat, ut nec caſus, nec fortuna vel tantillum adjuvent; tantumdem ſemper aberrat, hoc eſt quam longiſſime; prorſus ac ſi cœco illa ſtolidorum Patrono vel hoc ſolo exemplo notum facere omnibus voluiſſet, nihil prodeſſe ſua munera ijs qui his uti neſciunt. Nec hæc eo à me dicuntur, quod libenter cujuſquam inſultem ingenio; contumelioſum enim eſt imprimis ea exprobrare, quæ in noſtra non ſunt poteſtate; ſed quia non æquum tantum & licitum, verum etiam utile & neceſſarium eſſe exiſtimem, reprimere vitia quæ non ex defectu naturæ, ſed ex prava conſtitutione animi ac mala proficiſcuntur voluntate. Unicum hominis propoſitum fuiſſe, ut pleraque noſtra dicta odioſe traduceret, quamvis ubique manifeſtum ſit, tum præcipue in ipſo opuſculi limine & inſcriptione clariſſime patet. Quam enim maligna hæc ſunt, quod nos adfirmare ſcribat, Samaritanum codicem longe nobis ſanctiorem eſſe debere, atque ſit Hebraicus? Longe aliter ſonant noſtra verba; nempe dixi, quacunque lingua ſcriptum ſit Dei verbum, perinde eſſe ſanctum, non enim aut in punctis, aut in literis, aut in ipſis de-

denique vocabulis eſſealiquid ſacri,ſed in ſenſibus qui exinde conficiuntur: nam ſi in literarum forma aliquid eſſet ſacri,jam longe nobis ſanctior eſſe deberet Samariticus codex atq; Hebraicus: Moyſem enim Samariticis literis legem ſuam ſcripſiſſe, Judęos vero hodiernos uti literis Chaldaicis. Sed & ſequentia quam maligna? Quia dixi LXX Interpretum codicem in annorum ſupputatione longe ad nos incorruptiorẽ perveniſſe, quam Judęorũ exemplar; ille ablatis medijs vocabulis, ita mea verba adfert, LXX *Senum verſio longe ad nos incorruptior pervenit, quam codex Hebræus*. Sed & hoc quam malignum; *vetus Scriptura Hebraica alia fuit antequam interpolaretur à Judæorum magiſtris*. Quæcunque ego de annis Patriarcharũ quorundam dixi, hæc ille de tota Hebraica Scriptura me dixiſſe calumniatur. His omnibus tanquam jam ſtatutis, ſic exclamat plebeus ſophiſta, *Cur nos Eccleſiaſque noſtras adeo decipimus verſionibus ad Hebræos codices tam corruptos & periculoſos adornatis? Cur non textui Græco inhæremus &c?* Melius profecto eruditis Theologis & Paſtoribus Eccleſiarum hæc cura relinquetur. Vide tamen quam confidenter tanquam è pergula concionetur ovicula hominis, *textum Hebræum veteris & Græcum novi Teſtamenti incorruptos ad nos perveniſſe.*

Magnas apud omnes Chriſtianos inibit gratias, ſi oſtendere poſſit undenam ergo iſta lectionum varietas promanarit. Cum enim in omni diſcrepantia aliqua ſit corruptela, oportet ut cum omnibus eruditis fateamur, aut libros ſacros non omnino incorruptos ad nos perveniſſe, aut ut cum inſipidis quibuſdam Judęis ſtatuamus, variantes iſtas lectiones ab ipſis Prophetis eſſe excogitatas. Tale ſi placuerit commentum, jam etiam dicendum ab ipſis Apoſtolis & Euangeliſtis confictas eſſe lectionum diſcrepantias quæ paſſim in novi Teſtamenti libris occurrunt. Jam vero quam hoc prodigioſe ineptũ, quod ſcribit; *Melior ſcilicet conditio Homeri aut Virgilij erit, quorum codices per tot ſecula ad nos perveniſſe incorruptos ſtatuunt, quam Sacrarum Scripturarum.* A temporibus Homeri & Virgilij neminem tam fatuum fuiſſe exiſtimo, qui tale quid ſtatuerit. Hoc ſomnium non potuit alibi naſci, quam in illo capite, è quo primum prodijt Joſephum Hebraice neſciſſe. Quis enim ignorat jam Piſiſtrati ætate laboraſſe Grammaticos & Criticos in expurgandis mendis codicum Homeri? Quis neſcit obelos & aſteriſcos Ariſtarchi, quis ſtudium Zenodoti, Cratetis, Ariſtophanis, utriuſque Apollonij, mille denique aliorum, qui florente etiamnum Græcia, de

va-

varietate hujus aut illius lectionis opera conscripsere immania? Hoc etiam nostro seculo supersunt versus in Homero, ubi non una, sed triplex, imo etiam quadruplex occurrat lectio. Sed & Virgilij exemplaria incorrupta supereſſe, quis unquam somniavit? Si quis committat veteres membranas, vix ullum versiculum inveniet, ubi non aliqua sit discripantia. Præcipuas saltem lectiones collegit Pierius Valerianus è paucis duntaxat codicibus, & tamen quam vasta illic variarum lectionum copia?

Sed profecto nimium diu festinantem te detineo, Vir Illustrissime, dum singulis ineptijs aliquid tribuo responsi. Unum etiamnum adjiciam priusquam desinam. Dicit bonus iste vir, si admittatur hæc nostra Chronologia, multa exinde incommoda & pericula Ecclesiæ imminere. *Nam*, inquit, *si codex Hebraicus non est præferendus codicibus Græcis: consequitur in nullis hactenus Ecclesijs occidentalibus veram Sacrarũ Scripturarũ versionem receptam fuisse; quippe quæ omnes suas versiones, vel ad Hebræos codices tanquam authenticos, vel ad Latinam adornarunt.* Insulsa hæc sunt & maligna. Nam si anni Patriarcharum minus corrupti sunt in versione τῶν LXX atque in Codice Hebræo, an ideo sequitur, codicem Hebræum non esse præferendum Græcæ translationi? Quid præterea

terea intellexit per Eccleſias Occidentales? An illas quæ Græcis, an vero eas quæ nobis ad occidentem ſunt ſitæ? Græci Romanam Eccleſiam vocant Occidentalem,nobis nulla eſt Occidentalis, præter Britannicam,niſi etiam Americanas aliquot annumerare velimus. Atqui iſtæ Eccleſiæ maxima ex parte ſequuntur verſionem Hieronymi, quæ partim ad Hebraicum codicem, partim ad LXX Interpretum verſionem eſt expreſſa. Jam vero etiamſi dixerimus in omnibus iſtis verſionibus peccatum fuiſſe in annis, an inde conficitur in nullis Eccleſijs veram hactenus Scripturam fuiſſe? Hinc ſequeretur nos non habere Sacram Scripturam, cum nullum habeamus exemplar, in quo librariorum culpa non aliquot commiſſi ſint errores. Hinc quoque ſequeretur Eccleſiam Græcam jam inde ab Apoſtolorum temporibus caruiſſe Sacra Scriptura. Ipſe vero ſeipſum deſtruit cum Latinę verſionis mentionem hoc loco facit, quis enim neſcit illam potius ex Græco quam ex Hebræo eſſe expreſſam codice? Altera vero ratio quam mox ſubdit deſumpta eſt ex præceptis politicis; ſic enim ſcribit; *Superflua etiam ac inutilis foret omnium illorum regum, principum, magiſtratuumq; cura,qui verſiones ex ſolo textu Hebræo, maximo ſumptu & ingenti labore procurarunt.*

Bonus,

Bonus vir nimium hic mihi ſollicitus videtur de regum principumque loculis. Cura iſta mihil minus quam ſuperflua aut inutilis exiſtimanda eſt. Regibus enim glorioſa, bono publico utilis, interpretibus vero minime damnoſa fuit iſta liberalitas. Recte quoque principes & magiſtratus, in verſionibus Hebraicum Codicem præcipue ſequendum eſſe ſanciverunt, utpote qui merito alijs ſit præferendus. Verum nec illi, nec ipſi interpretes, ſenſerunt veritatem Biblicam aut Hebraicam, ſiquidem ita appellare libuerit, è ſolis Maſſoretharum editionibus eſſe hauriendam. Si enim illas tantum fuiſſent ſecuti, jam non pauca de Chriſto vaticinia obliteraſſent, jam quoque Cainanem apud Lucam expunxiſſent, quod tamen minime factum eſt.

Verum relictis tandem minutis his ratiunculis, quibus dum noſtram oppugnare ſententiam conatur vir bonus, non tam nobis quam ſibi negotium faceſſit, dicamus non nihil de LXX Interpretum verſione, tum quod valde de hujus veritate ſolliciti ſint complures inſignes viri, tum quoque quod auctoritas ejus non parum faciat ad confirmationem calculi noſtri Chronologici. Quamvis autem ea res non videatur ejus naturæ ut poſſit paucis abſolvi,

præſer-

præſertim cum hoc ſeculo multæ à multis motæ ſint difficultates ad evertendam hujus tranſlationis auctoritatem, non male tamen me facturum ſpero, ſi ſententiam noſtram quam poſſim breviſſime exponam, liquidius & copioſius de hoc ipſo argumento ſcripturi ſi fata permiſerint. Sic itaque ſentio, ſi quid in rebus mortalium ſit quod à quoquam poſſit adfirmari, jam quoque audere me abſque ulla cunctatione affirmare & certo ſtatuere, verſionem Pentateuchi Græcam, quæ hodie etiamnum exſtat, toties recuſa, illam ipſam eſſe genuinam LXX Interpretum verſionem. Hoc ſic efficio, quod quamvis jam olim & Judæi & Origenes hanc interpolare conati ſint, pluraque contaminarint exemplaria Judæi admixta Aquilæ verſione, Origenes vero illa Theodotionis; integra nihilominus hæc tranſlatio à Ptolemæi temporibus ad noſtram uſque ætatem perſtiterit, & quamvis ævo omnia mutentur & corrumpantur, mutationem tamen quæ in his exemplaribus facta ſit, adeo levem eſſe & non magni momenti, ut ſi vere adfirmare poſſimus nos habere ſcripta Virgilij, aut officia Ciceronis, qui libri maxime ad nos incorrupti pervenere, multo potiori jure jactare poſſimus, nos habere genuinam LXX Interpretum tranſlationem.

Hanc

Hanc vero esse illam ipsam translationem, quæ jussu Ptolemęi facta sit, inde clare colligi potest, quod testimonia & loca ex hac versione jam à bis ferme annorum millibus deprompta, hoc est à tempore ipsorum LXX Interpretum, plane cum hodiernis exemplaribus conveniant. Jam ante natum Christum, æquales ferme LXX Interpretibus, floruere Demetrius, Philo senior, Euphorus, Eupolemus, Alexander Polyhistor. Quæcunque illi ex libris Mosis proferunt testimonia, in numeris, in annis, in nominibus proprijs, in omnibus denique cum hodiernis editionibus ad unguem conveniunt. Ipsius autem Christi tempore eandem atque nunc est fuisse LXX senum versionem, luculentus testis est Philo Judæus; pleraque quæ apud illum exstant non loca tantum, sed etiam integra fere Pentateuchi capita, adeo accurate cum hodiernis editionibus conveniunt, ut mirum videatur lapsu tot seculorum potuisse tantam convenientiam in exemplaribus conservari. Euangelistas & Apostolos secutos fuisse illam ipsam, de qua agimus, translationem, fatentur omnes, exceptis fanaticis quibusdam, qui dicunt, interpolata esse Euangelistarum & Apostolorum scripta. Quamvis nonnullis melius videatur talibus nihil respondere, ut tamen semel im-

pudentiæ ſatisfiat, plures addam teſtes, ac primo quidem æqualem Apoſtolis, ac eorundem diſcipulum Clementem, cujus Epiſtola ad Corinthios etiamnum exſtat, ac ab omnibus Chriſtianis pro genuina & legitima agnoſcitur. In illa itaque Epiſtola pleraque è Moſis pentateucho deſcripta loca adeo probe cum ijs, quæ etiamnum ſuperſunt, exemplaribus conſpirant, ut ne ovum quidem ovo ſit ſimilius. Clementem excipiunt Juſtinus Martyr, Theophilus Antiochenus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, qui & ipſi in omnibus conveniunt. Sequitur Origenes. Qui negant verſionem τῶν LXX, quam ille tetraplis & hexaplis ſuis inſeruit, eandem fuiſſe atque nunc ſit, minime mihi ſani videntur. Quotquot ex tetraplis aut hexaplis Origenianis ſuperſunt fragmenta non abeunt omnino ab ijs exemplaribus, quibus nunc utimur. Primum geneſeos caput ex tetraplis Origenis affert Joannes Philoponus, ubi nulla cum vulgari hodierno codice occurrit varietas. Sed & ex innumeris ipſius Origenis locis clare colligitur, quam ipſe vocat LXX. Interpretum verſionem (de libris Moſaicis loquor) illam ipſam etiamnum ſupereſſe, adeoque neminẽ, qui quidem aliquo ſit præditus judicio, litem hic intendere debere. De alijs poſt Origenem patribus,

bus, qūi Sacram Scripturam ſunt interpretati, nihil adtinet dicere; omnes ſiquidem verſionem LXX. Interpretum in ſcriptis ſuis ita repreſentant, qualis illis in hodiernis comparet exemplaribus.

Cum itaque ſole clarius & manifeſtius ſit, tranſlationem de qua agimus, ſupereſſe etiamnum veram & integram, niſi quod temporum injuria & librariorum culpa leviora quædam menda irrepſerint, æque ac in Græcis novi ac Hebraicis veteris Teſtamenti libris factum eſt; miror quid mentis fuerit cum alijs, tum præcipue Armachano, cum in ſcripto quod ſeorſim de hac quæſtione in lucem dedit, oſtendere conatus ſit, verſionem Græcam, quæ hodie exſtat, confictam fuiſſe jam ante nativitatem Chriſti & ſtatim poſt tempora Ptolemæi Philadelphi, ac veram quidem tranſlationem LXX Interpretum delituiſſe ſemper in bibliotheca Alexandrina, nec lectam, nec deſcriptam à quoquam, demum incendio fuiſſe conſumptam; ſuccedaneam vero illam, qua hodie utimur, illico fuiſſe adprobatam, ac mox ab Apoſtolis eorumque diſcipulis admiſſam in Eccleſiam, uſque ad hæc tempora illibatam perſeveraſſe. Quamvis nihil tam falſum ſit, quod non fidem apud aliquos inveniat, ſi gravis acceſſerit auctor, neminem tamen tam

prono ad labendum animo futurum arbitror, ut tam manifeſtam veritatem male fultæ auctoritati poſtponat, ac ex eo quod potuit fieri (quamquam ſi bene adtendamus, ne potuit quidem) id quod factum eſt, velit in dubium vocare. Rationes vero quas attulit quamobrem ita ſenſit, eodem omnes recidunt, nempe quia in ſcriptis Propheticis, Pſalmis præcipue, alijſque monumentis ſacris, tam longe à ſe invicem abeant libri. At vero cum ne ipſe quidem Armachanus exiſtimarit omnes veteris inſtrumenti libros à Lxx Interpretibus tranſlatos fuiſſe, fruſtra exillis argumentū petijt. Ut ſciamus perijſſe horum interpretum labores, aut vera indicanda eſt tranſlatio, aut oſtendendum, illam, qua vulgo utimur eſſe fictitiam. Varijs aliquot lectionibus, nihil efficitur, cum certum ſit, nullū antiquum librum, ſeu ſacrum, ſeu profanum, poſt tot ſeculain-corruptū penitus ad manus noſtras veniſſe. Quod autē criminantur multa prave eſſe verſa hac translatione, in eo omnimodo falluntur. Ex omnibus exemplis, quibus hoc efficere conantur, ne unum quidem ſuccedit. Quamvis hoc audacter dictum poſſit videri, expediam tamen feliciſſime, ut ſpero, ac ſimul docebo quam non parum veriſimilis tantum, ſed etiam impoſſibilis ſit opinio, quam Uſſerius Armachanus, vir ſane eruditiſſimus, in ſuo de

Lxx

Lxx Interpretibus ſyntagmate propoſuit. Hęc nunc obiter præmittimus, privato ſcripto ſigillatim de Græcis Interpretibus eorumq; auctoritate acturi; ad præſens enim inſtitutum ſufficit de ſolis libris Moſis hæc hactenus dixiſſe.

Jam vero etiam ſi quis ita infeliciter fuerit animatus, ut contra tam claram veritatem audeat hiſcere, & negare pergat ſupereſſe hodie veram translationem; ſaltem is calculum noſtrum probet neceſſe eſt, & fateatur, uti nos, ita etiam Lxx Interpretes ætatem mundi ſubduxiſſe. In ipſo enim τῶν Lxx antographo, ut collegimus, ita olim quoq; expreſſos fuiſſe numeros, præter illos, quos in diſſertatione exhibui teſtes, addo nunc, Demetrium, Eupolemum, Alexandrum Polyhiſtorem & Philonem hiſtoricum Judæo Philone antiquiorem. Omnes hi ante Chriſtum floruere, nonnulli æquales, aut fere, Lxx Interpretibus. Omnes hi in annis & ſpatijs Patriarcharum conveniunt, ut videre eſt ex fragmentis illorum, quæ exſtant apud Joſephum, Clementem Alexandrinum, & Euſebium. Sed & in univerſa temporis menſura conſpirant. Ab Adamo enim uſque ad Alexandrum Magnum numerãt aliquantum ſupra quinque annorum millia. Ecquid pluribus opus? Haud puto; tibi ſiquidem & alijs eruditis, etiam abſq; his, jam dudũ ſatisfeci. Si quis malit

pepo

pepo esse, quam homo, per me licet, ut patefacta veritate cum Massorethis deliret. Sed profecto nimium diu accinctum te detineo. Quæ itaque sequuntur, ea in itinere legas, aut ubi paulo fueris otiosior. Ne tamen in illis novum aut singulare aliquid exspectes. Imbellis adversarius forti mihi esse non permittit. Sua illi prodest infirmitas, qua sola ictus nostros eludit. Quia alijs destituitur armis, festucas ac paleas triviales & scholasticum saltem in nos effundit pulverem. Utemur idcirco leni flabello, usuri etiam flagro, si porro molestus esse pergat. Vale Vir Illustrissime, & rem patriæ feliciter gere. Hagæ xviij. Maij CIↃ. IↃ. LIX.

CASTIGATIONES
IN
PRÆFATIONEM
AD LECTOREM.

PRoponis hic argumenta quæ faciunt pro utraque ſententia; primo quidem illa quæ nos ad confirmationem calculi noſtri adtulimus, deinceps vero ea quæ vulgarem Hebraici codicis ſupputationem adſtruere videntur. Ordo exigit ut tuam præmittamus opinionem priuſquam noſtram confirmemus. Sic itaq; rationes tuas conſtringis quas mox latius explicas: *Qui numeros in Codicibus Hebræis incorruptos adferunt, verſionibus Syriaca Thaddæi Apoſtoli, Chaldaicæ Onkeloſi, Latina Hieronymi, Codicibus Euangeliſtarum antiquiſſimis, Beroſo Babylonio, Philone Iudæo, & annalibus ac epochis earundem gentium, ſententiam ſuam confirmant.* Examinemus ſingula, ac videamus ecquid hic ſit, quo Maſſorethicam Chronologiam ſtabilire poſſis.

Primum itaque locum tribuis verſioni Syriacæ, quam omnium antiquiſſimam & optimam vocas, *& cujus in Eccleſia Chriſti auctoritas veneranda ſemper fuit. Nam quod antiquitatem ſpectat, prior ejus pars uſque ad Prophetas tranſlata fuit jam circa annum mundi* 3000, nempe, ut mox ſubjicis, ab Hiramo Rege Tyri. Mira narras, cum ab Hiramo, illo Salomonis amico, libros Sacræ Scripturæ Syriace verſos exiſtimas. Quid demum non credet, qui tales Syrorum & Judæorum credit fabellas. Unum nempe hoc neſcivit Bochartus, qui tanto cum labore, ac tanto eruditiorum appaluſu veteris linguæ Phœniſſæ fragmenta collegit: is inquam neſcivit extare etiamnum tam multos

vete-

veteris Teſtamenti libros, antiqua Phœnicum lingua ab Hiramo tranſlatos, è quibus tota eorum lingua poſſit integrari. Ceſſent itaque tandem aliquando eruditorum lites de veteri lingua Cananæa ſeu Phœnicia, repertus eſt tandem homo qui hanc poſſit controverſiam dirimere, nempe is jubet, ut lingua qua olim Phœnices & Cananæi uſi ſunt, eadem ſit atque illa, qua nunc utuntur Maronitæ. Hæc qui admittit, idem non difficulter admittet puto, reliquam Sacrarum literarum partem, hoc eſt Prophetas & Euangelia, tranſlatam eſſe ab Abgaro Rege & Thaddæo Apoſtolo, quemadmodum tu ex *Ieſudad Meſopotamæo* (Meſopotamite aut Meſopotamio dicere debueras) oſtendere conaris. Verum ſi hoc ſit, cur ergo non conveniunt vocabula Syriaca, quæ in novo teſtamento occurrunt, cum ijs quæ vulgatæ Syrorum verſioni inſeruntur? Hinc adparet, verum eſſe quod multi ſuſpicantur, verſionem Syriacam tam novi quam veteris Teſtamenti, longe eſſe recentiorem atque vulgo arbitrantur, nec poſſe vel Abgarum vel Thaddæum habere auctorem. Jam vero quod nonnulli adfirmant Jacobum, qui Concilio Nicæno interfuit, ac S. Ephraim commentarios ſuos edidiſſe in tranſlationem hodiernam Syriacam, in eo omnino fucum faciunt veritati. Ut hoc adſtruant, utuntur quidem auctoritate Gregorii Nyſſeni, Theodoreti, Chryſoſtomi, Sozomeni, ac aliorum; verum ſi quis illos conſulat, nihil tale inveniet. Qui cordate de hoc argumento ſcripſere, fatentur verſiones iſtas Syriacas multis in locis eſſe admodum vitioſas, utpote quæ concinnatæ ſint ab hominibus qui nec ſatis Græcè nec Hebraicè ſcirent. Antiquiora quidem hujus tranſlationis exemplaria expreſſa eſſe ex Græco exinde liquet, quod illa exhibeant obeliſcos & aſteriſcos Origenis. Fabella de Hiramo, Thaddæo & Abgaro unanimiter exploditur, & ſane ridicula eſt. Talibus commentis qui credit, is etiam credat Epiſtolæ Abgari ad Chriſtum, & Euangelio Thaddæi

Syro Interpreti succedunt paraphrases & versiones Chaldaicæ. De Paraphrasi Jonathanis in Penteuchum, quam recens & quam nugatoria sit, monuimus in ijs, quæ ad cap. IV. annotavimus. Superest itaq; Onkelos, quem LXX Interpretibus vel æqualem vel superiorem facis. Tempus est ut te expergiscam. Scito itaque utrumque esse falsum, nec Onkelosum esse tam vetustum quam tu affirmas, nec illum auctorem esse paraphraseos Chaldaicæ. Primum videamus quid nominis sit Onkelos. Nulli hoc melius expediant, quam ipsimet Judæi. R. Azarias scribit; *qui Babylonia dialecto Onkelos dicitur, is Hierosolymîtana vocatur Aquila.* Sed & per totum Thalmudum qui modo Aquila dicitur, is alibi Ancelos vel Onkelos appellatur. Idem itaque nomen est אונקלוס & Ἀκύλας. Jam vero Aquilam proselytum omnes faciunt, similiter & iste à Rabinis vocatur אונקלוס הגר. Judæi vel Simeonis vel Akibæ hunc discipulum fuisse scribunt. Idem de Aquila scribit Hieronymus ad cap. VIII. Esaiæ. Jam vero constat Aquilam sub Adriano floruisse: ipsum hoc complures è Rabbinis faciunt, ac inter alios autor Iuchasin, qui ad Trojani & Adriani seculum ætatem Onkelosi refert. Nullum itaque dubium de nomine & ætate Onkeli vel Anceli vel Aquilæ relinquitur. Ipse nunc judices an recte caculum iniveris, quum Aquilam antiquiorem feciſti LXX Interpretibus. Iam alterum, quod promisimus ostendamus, nempe paraphrasin illam Chaldaicam, quæ hodie tanto apud Iudæos & Iudaizantes est in pretio, non esse vel Aquilæ, vel ut ipsi dicunt Onkelosi. Primo quidem illud, nec verum, nec verisimile, Aquilam natione Ponticum, quique sero admodum literas Hebraicas didicit, simul quoque didicisse Chaldaicas, ac tantum in ijs profeciſſe, ut paraphrasin scripserit. Sed & hoc quoque efficacissimum est argumentum, unde Aquilam non esse auctorem Chaldaicæ paraphraseos manifeste liquet, quod paraphra-

sis hæc longe recedat à versione Aquilæ Græca. Si quis conferat vel priora Geneseos capita non modica statim occurret discrepantia. Verba Caini ad Abelem fratrem quæ & in Hebræo codice & in versione Aquilæ desunt, exstant in paraphrasi Chaldaica. Quandoquidem ergo Onkelos idem est qui Aquila, iste vero Aquila non sit auctor paraphraseos Chaldaicæ, superest ut paraphrasis hæc incerti auctoris & temporis esse dicatur. Uti autem non nimium recens esse potest, utpote cujus meminerint complures Thalmudici scriptores, ijque satis antiqui; ita neque valde vetusta esse potest, cum nec Origenes, nec Hieronymus, nec ullus vel Græcus vel Barbarus qui quidem annis mille non sit recentior, ullam unquam hujus paraphraseos mentionem fecerit. Concludamus igitur Paraphrastas & Interpretes omnes Chaldæos non nisi sexto post Christum seculo, aut serius, floruisse; Nec nos decipiant aut Judei aut Christiani Judaistæ, qui ut aliquid haberent, quod omnium antiquissimæ LXX Interpretum versioni opponerent, splendida ista nomina Hierami & Abgari regum, Thaddæi Apostoli, Ionathanis item & Aquilæ sunt commenti. Solemnem hunc Rabbinorum fuisse morem, non diffitetur autor libri Iuchasin, qui multis docet exemplis, usitatum esse genti suæ, ut libros ijs adscribant, qui longo ante vixerint tempore.

Argumentum quod ex versione Hieronymi producis, id non facit ad rem, & omnino nullius est pretij. Quia in Hebraicis codicibus Cainan iste deest, ideo ut multa alia, ita quoque hunc in versione sua omisit Hieronymus. Tantum autem abest, ut negemus Hieronymi ætate Cainanem defuisse in exemplaribus Hebraicis, ut contra adfirmemus ne Origenis quidem seculo amplius in illis comparuisse. Græcæ enim τῶν LXX versioni obiliscum appinxerat Origenes (ut ad cap. IV. docuimus) quia illa de Cainane verba deerant in exemplaribus Hebræis. Quod autem subdis, *Hieronymi*

nymi ætate Hebræos codices cum Syriaca & Chaldaica versione in annis plane consentientes fuisse, id valde est facetum. Ponis qualitatem ante quidditatem, ut vulgo loquuntur. Tantum enim abest ut versiones illæ, cum Hebraico codice convenerint, ut Hieronymo vivente ne exstiterint quidem.

Quartum argumentum petis ex codicibus Euangelistarum antiquissimum, *in quibus nullus adparet Cainan*. Imo unus tantum toto orbe repertus est hactenus codex qui illum non agnoscit. Sed agnoscunt illum mille codices & quidem illo Bezæ antiquiores. Vide quæ diximus ad cap. IV.

Provocas dein ad Berosum Babylonium, quem dicis *adornasse historiam suam ex Chaldaica Mosis versione*. Imo Berosus mille annis antiquior est paraphrasi Chaldaica. Antequam statueres, Berosum Paraphrasin Chaldaicam esse secutum, ostendere debueras Paraphrasin istam fuisse. Cum vero etiam Beroso ignotum fuisse Cainanem adfirmas, plurimum te tuus Armachanus fefellit. Si dixisset Berosus Abrahamum decimum esse à Noacho, jam locum habuisset argumentatio isthæc: sed vero ille Abrahamum decima post diluvium ætate collocat.

Sextum apnd te argumentum facit Philo Iudæus, cui ignoratum fuisse Cainanem adfirmas. Sed sane etiam hic mirum in modum falleris. In toto Philone Iudæo, qui ubique LXX Interpretes fideliter est secutus, nihil tale reperias. Sed hausisti hoc ex nugatore illo, cujus libellus de biblicis antiquitatibus, sub Philonis nomine sæpius una cum delirijs Annij Viterbiensis in lucem prodijt. In illo Arphaxati filius dicitur fuisse Sale, non Cainan.

Sequuntur dein apud te Chaldæi: nam & hos quoque ad Masorethicum calculum confirmandum producis, idque auctaritate Armachani, qui dicit Chaldæos anno post diluvium 115 non tantum fuisse, sed etiam jam vacasse astro-

 nominæ

nomiæ. Certe magnum illum venatorem Nimrodum quidvis potius quam ſidera eſſe venatum exiſtimo. Vide quanto melius nos hoc tempus ad Tharam & Abrahamum retulimus, in cujus ætatem initia Aſtronomiæ referunt Beroſus, & ex illo Eupolemus, Philo Iudæus, Ioſephus, alijque, ac ipſi quoque Ægyptij, cum à Chaldæis, hoc eſt ab Abrahamo, aſtronomiam ſe didiciſſe fatentur. Quam vero abſurda ſit Armachani Chronologia Chaldaica, cum tot Reges, & octo integra ſecula nullo auctore expungit, ut illorum æram cum ſua componat, ſatis ut opinor manifeſte liquet ex ijs, quæ diximus ad cap. VIII. & X.

Veniamus ad Ægyptios, nam & hi in caſtris tuis octavo loco militare tibi videntur: nempe quia Conſtantinus Manaſſes ſcriptor ſemibarbarus, ab Abimelecho uſq; ad finem regni Ægyptiaci numerat annos 1663. Tot enim anni ab Abimelecho ſeu Abrahamo uſque ad deſtructionem regni Ægyptiaci colliguntur in Chronico Euſebij. Armachanus autem non perlecto integro loco, contra fidem omnium hiſtoricorum, adeoque ipſius Conſtantini Manaſſis, finem regni Ægyptiaci retulit ad tempora Cambyſis, principium vero ad annum poſt diluvium 160. Hanc ſententiam ſi tueri velimus, dicendum Abimelechum primum fuiſſe Ægyptiorum regem. Vide, bone vir, qualia tu probes ſomnia.

Ultimum teſtimonium & argumentum è Serum Chronologia petis, & ut hos quoq; calculo Maſorethico conſentire facias, ſex minimum ſecula à tempore illorum hiſtorico aufers. Sed quam craſſũ commiſeris errorem ex eo, quod non intellexeris verba Martinij Ieſuitæ, adeo, niſi fallor, clare oſtendimus, ut ne ullum quidem habiturus ſis effugium.

Si itaque Syrus & Chaldæus paraphraſtæ Origene ſint recentiores, quando nempe jam numeri in Hebraicis exemplaribus erant corrupti; ſi Hieronymi & Cantabrigenſis manuſcripti auctoritas nulla ſit; ſi Beroſus agnoſcat Cainanem

nem; si Philonis antiquitates meræ sint imposturæ; si Chaldęorum, Ægyptiorũ & Sinensum antiquitates sex minimũ seculis excedant æram Massorethicam; corruunt ad unũ omnia tua argumenta, adeoq; nihil supereſt, quo sententiam tuam tueare, prẹter auctoritatẽ Massorethorũ? nam quod ad Copticas, Æthiopicas & Armenas provocas versiones, miror quomodo ex his aliquod sententiæ tuæ præsidium quæras. cum constet omnes has versiones, æque ac Syriaca & Chaldaica, diu post Origenem esse concinnatas. Atqui jam ante Origenem in annis vitiatus erat codex Hebraicus, ut jam sæpius monuimus. Noli itaque in hic aliquid spei collocare, quin potius omnes istæ versiones nostram in annis confirmant sententiam. Exstat enim iste Cainan non tantum in pentateucho Coptico, verum etiam in antiquissimo Euangeliorum codice, qui penes me exstat. Æthiopes autem annos computant ut Græci. Armenorum pleræque Scripturæ Sacræ ex Græco sunt translatæ, ac in ætate mundi conveniunt cum Ecclesia Græca. Vides itaque, bone vir, quam ipse tuis argumentis obruaris undique, quamque ne ipsa quidem Salus te servare possit, nisi longe melioribus armis instructus in campum prodeas. Ipse nunc judices licet an Christianus animus adquiescere potius debeat Syriacis ac Chaldaicis paraphrasibus, quarum nulla apud antiquos mentio, ne apud Judæos quidem; quam LXX Interpretum versioni, cujus veneranda fuit auctoritas etiam antequam Christus nasceretur, quæ sola nota & recepta fuit in tota primitiva Ecclesia, cujusque inviolata & nunquam interrupta auctoritas ab Apostolicis temporibus usque in hæc tempora multis testium millibus confirmata, apud omnes totius Orientis Christianos etiamnum perdurat.

Hactenus tuis respondimus argumentis; nunc videamus an felicius aliena oppugnes, quam tua defendas. Primum itaque in quos impetum facis, illi sunt LXX Interpretes. Horum

versio-

verſionem dicis non exſtare, illam enim, quæ vulgo circumfertur eſſe ignoti auctoris, plurimumque diſcrepare ab antiqua illa tranſlatione. Itaque paſſim in hanc verſionem inveheris, ac eam omnium peſſimam, meram Rhapſodiam, & Chaos appellas, forſan & diabolicam, quippe calculum Chronologicum, qui ex horum Interpretum ſententia exſurgit, diabolicum nominas. Nempe ut alibi ita quoque hic Armachanum ſecutus es: verum quæ ille caute & modeſte ſuſpicatur & proponit, ea tu ne inteilecta quidem, audacter, ne dicam ſtolide & furenter, affirmas. Nimius ille fuit in moderanda LXX Interpretum auctoritate, nunquam tamen adeo abuſus eſt ſuo calamo, ut in verſionem, quam divinitus inſpiratam fuiſſe jam ab Apoſtolicis temporibus tota credidit Eccleſia, intemperanter adeo debaccharetur. Sed quid verbis opus? Annos Patriarcharum & ante & poſt diluvium, quemadmodum nos expoſuimus, ita quoque conceptos fuiſſe in ipſo LXX Interpretum autographo clare adeo docuimus, ut ne ipſa quidem impudentia quod opponat habeat.

Samariticum codicem inepte & hic & paſſim vocas Samariticam verſionem. Videris mihi in tenebris micare quandocunque de verſione & codice Samaritarum loqueris. Neutrum enim vidiſſe te puto.

Sequentia adeo ſunt acuta, ut vel ex ijs ſolis ingenium tuum ſatis colligi poſſit, cum dicis *Annales Chaldæorum, Ægyptiorum, Sinenſium manifeſte falſos eſſe, in certiori autem epocha manifeſte cum Moyſe convenire.* Quænam illa certior epocha? Nempe ſi patiantur ſex integra ſecula à Chronologijs ſuis auferri: Hoc ſi fecerint jam Chronologia ipſorum ſancta erit ac Moſaica. Sin autem hoc facere recuſent, & ipſi diaboli, & Chronologia ipſorum diabolica te jubente vocabitur.

ISAACI VOSSII
CASTIGATIONES
AD SCRIPTUM GEORGII HORNII
DE
ÆTATE MUNDI.

AD CAPUT PRIMUM.

Quamvis otio abundem, ac jam dudum in tanta nugarum copia, quibus seculum redundat, fastidiosus esse desierim, adeo tamen graviter istam qualumcunque temporis fero jacturam dum tibi vacare cogor, vir optime, ut non nisi confirmato stomacho scriptum tuum pervolvam, & quod molestissimum est expendam. Immunda loca vel transire solum inamœnum est; at vero diu illis inhærere, sordes movere & evertere, non emunctarum narium, sed scarabeorum est proprium. Libenter itaque ignosces si in rure tuo minus diu moratus fuero, nec indignaberis spero quod labores tuos inficeto indigitem vocabulo: scis enim ut olim apud Macedones,

ita nunc Batavos, rebus verba aptari ſimilia. Interim ſi hæc mea libertas, aut ſi mavis ruſticitas, te offendat, eſt quod viciſſim tibi gratulere, pro ingentibus quas pro diſſertatione refero tibi gratias, ac quod non parum ex ea profeciſſe me ingenue apud te fatear. Siquid enim in calculo noſtro minus ſolide dictum aut demonſtratum poterat videri, id tu argumentorum tuorum pondere & efficacia ita confirmaſti, ut omnem prorſus dubitationem ſuſtuleris; adeo quidem, ut tuum legiſſe ſcriptum, hoc ſit noſtrum adprobaſſe. Ne autem exiſtimes hæc à me minus ſincere dici, ſequamur ordinem tuum, ac retexamus ſingula argumenta.

Quia nempe dixeram, ut fidei ita quoque temporis principia ex Moyſe eſſe petenda, tu ſic ordiris; *Cùm mundum, non ab æterno extitiſſe, ſed in tempore à Deo creatum, monumenta ſacra teſtentur, initia ejus inveſtigantibus, ex ſolo Moſe, ut fidei, ita quoque temporis, petenda ſunt principia; idque apud omnes Chriſtianos in confeſſo hactenus fuit.* Immanem hic committis ſolœciſmum: *initia ejus inveſtigantibus petenda ſunt principia.* Nonne hoc tantumdem eſt, ac ſi quis diceret, *intia ejus inveſtigantibus inveſtiganda ſunt initia?* Sic ſcribere debueras; *Cùm mundum non ab æterno exſtitiſſe, ſed in tempore à Deo creatum monumenta ſacra teſtentur; ut fidei, ita quoque temporis ex illis petenda eſſe*

principia apud omnes Christianos in confesso hactenus fuit.

Sequens periodus non uno laborat vitio, sed hoc crassum imprimis, quod dicis Hebræam linguam authenticam esse originalem: Samaritanam vero & Græcam traduces. Quam turpe te tam multa de Samaritarum codice & lingua garrire, & tamen nescire linguam Hebream & Samariticam esse eandem, ac ne dialecto quidem discrepare, sed sola literarum forma.

Sed nec tertia, nec quarta, nec sequentium periodorum ulla est, que nęvo careat. Ne vero minutijs diu nimis immoremur, videamus an argumenta quæ adfers pro te faciant, Provocas ad providentiam divinam, per quam firmiter statuendum esse dicis, *depravationem codicum Hebræorum nec admißam fuisse, nec potuisse admitti, sive per fraudem Judæorum, sive per incuriam librariorum.* Non sic loquuntur, qui cordate de hac quæstione scripserunt. Agnoscunt illi à Judæis, corrupta esse cum alia de Messia loca, tum præcipuè illum qui occurrit Psalmo XXII.17 *Foderunt manus meas & pedes meos.* Agnoscunt quoque illi incuriam librariorum, neque enim aliunde originem habere potuit magna illa variarum lectionum copia, sed addunt illi discrepantias istas esse minoris momenti & non versari circa res fidei Christianæ necessarias. Si &

ipſe ſic eſſes locutus, nemo te merito reprehendere potuiſſet. Sed quid verbis opus? ipſe temetipſum deſtruis paulò pòſt, cum agnoſcis, *eſſe in verbis quibuſdam & literis diſcrepantias.*

Locus Philonis minime ſententiæ noſtræ adverſatur. Eſto ut exemplaria Hebraica immunia fuerint ab omni corruptione non tantum Philonis ætate, ſed etiam tempore Joſephi & excidii Hieroſolymitani. Negat tamen hoc ipſum Capellus. Illud iufitiari nemo poſſit, poſt everſionem templi diſperſionemq; Judæorũ, ex negligentia librariorũ multos natos eſſe errores. Pergis dein ſic; *Acceſſit ad hanc Judæorum in conſervando ſacro codice religionem, ſtupenda Maſſoretarum deligentia, qui etiam ſingulas literas in cenſum retulere, & ſi quæ corruptelæ inquædam exemplaria irrepſerant, ex correctiſſimis & indubitatis ipſi in perpetuum ſuſtulerunt.* Mirificum argumentum; quia nempe Maſſoretæ ante duo, tria & quatuor ſecula, etiam ſingulas literas numerarunt, ideo non potuerunt ante quatuordecim & quindecim ſecula vitia à librarijs Judæis committi. Huic ſimile fuerit, ſi quis dixerit, quia Nizolius omnia vocabula Ciceronis collegit & numeris alligavit, ideo non potuiſſe librarios qui libros ejus deſcripſere ante mille & plures annos vel in uno

uno verbo peccare. Auſim adfirmare te poma aut nuces cogitaſſe cum hæc ſcriberes. Vide ne decipiare, bone vir. Niſi enim res tuas prius quoque numeraveris, nihil efficies et amſi millies poſtea numeres. Sed & hoc quoque ex Judæorum quorundam ſententia non rectè adfirmas, *Mazoretas ſtupenda diligentia ſingulas litearas in cenſum retulſſe*. Velle tale quid præſtare in tanta codicum Hebræorum diſcrepantia, ea demum ſtulta fuerit diligentia. Vel ipſum Dei nomen quoties in S, literis occurrat, ſi inquiras, non convenient inter ſe Judæi orientales cum occidentalibus.

Illud vero prorſus abſurdum, Maſſoretas ex correctiſſimis & indubitatis exemplaribus Hebraici codicis corruptelas in perpetuum ſuſtuliſſe. Unde iſta indubitata exemplaria in Maſſoretarum manus delata ſunt? An ipſum Moſis nacti ſunt autographum? Si hoc ſit, cur ergo de veritate hujus aut illius lectionis uſque ad verbera & ſputum inter ſe digladiantur Judæi? Vide quam multa abſurda non in unum tantum caput, ſed in eandem etiam congeſſeris periodum, tanquam ſi perinde tibi eſſet quid diceres aut ſcriberes, dummodo aliquid dicas aut ſcribas. Ut autem cognoſcas non hic tuam ſubſiſtere inſcitiam, pergamus ad cætera.

Dixi Samaritanos ſcripturam & characteres ſervare, qui jam inde à Moyſis temporibus in uſu fuere. Tu adſertionem hanc temerariam eſſe adfirmas,& hoc vocas ipſi Moyſi velle illudere. Imò inſcitia &impudentia eſt ſumma,velle hoc negare. Quid clarius teſtimonio Hieronimi in prologo galeato,&deniq; ad annum Euſebij M. D. LVIII. Nec ipſi hoc diffitentur doctiores Rabbini, Moſes Gerundenſis, Joſephus Albus,& alij. Clamant id ipſum nummi veteres Hebræorum, omnes Samaritanis literis inſcripti. Quid ad hæc alij? mera ſomnia & deliria. Sanè Scaliger eos qui negant Moyſem legem ſuam Samaritanis exaraſſe literis ſtultos & aſinos vocat.

Jam dudum exſpectabam ut argumentum aliquod clarum & minime triviale ad probandam perpetuam illam Hebraici codicis ſinceritatem depromeres, verum tu illo relicto, quaſi cæco percitus furore in LXX. interpretes plumbeum ſtringis mucronem: Hinc tranſis ad Criticos,quia nempe ipſe es ἀκρίτος,inde ad Chaldæorum Saros,tandem concludis te vulgarem calculum defenſurum contra quoſvis,Deo deliriis tuis favente.

AD

AD CAPUT II.

HOc capite promittis oſtenſurum te numeros non eſſe corruptos in codicibus Hebræis. Facis id pari ſucceſſu ac ſuperiori capite. Multa dicis, ſed nihil aut adſtruis, aut deſtruis. Ut tamen aliquid dicere videaris, vide quam ſtulta promas.

Fl. Joſephum omnium ſui ſeculi Hebræorum longè eruditiſſimum, qui legem Moyſis in Synagoga Hebraice interpretatus eſt, qui Hiſtoriam belli Judaici antequam Græce ſcriberet, lingua Hebræa edidit, uti ipſe teſtatur; hunc inquam Ioſephum Hebraice neſciviſſe.

Ex loco Bereſith Rabba dicis nihil concludi poſſe. Non intelligis, bone vir, vim argumenti. Cauſam reddere debueras quomodo fieri potuerit, ut in hoc libro antiquiſſimo, maximæque apud Iudæos autoritatis, ac præterea in quibuſdam aliis vetuſtis Rabbinorum ſcriptis, Adam per 130. annos à conjuge abſtinuiſſe dicatur, antequam Seth naſceretur.

Sed & aliud ſtuporis tui exemplum addamus. Ut oſtendas Sethum natum eſſe anno Adami 130. ſic argumentaris; *Pone Caneum & Abelem natos anno*

mundi

mundi 10. *vel* 20. *vel* 30. *vel si id nimis maturum videtur* 50. *aut* 100. *etiam Adami. Cainum cum occideret Abelem fuisse annorum vel* 100. *vel* 50. *vel saltem tali ætate, qua potuerit agriculturam, & Abel pastoritiam exercere: Cædem illam factam ante annum Adami* 130. *tot annis quot vis. Si vel biennio ante facta fuit, Adamus anno* 130. *Sethum generare potuit. Si igitur inter cædem Abelis & nativitatem Sethi intercedant anni saltem* 2. *vel etiam centum, tum conclusio Rabinica concidit.* Magnas vero, vir optime, tibi ago gratias. Quandoquidem optionem dedisti, ut quod velim, eligam. Minimè quod largiris recusabo. Concedis ut Cain & Abel centesimo Adami anno nati sint. Concedis Cainum cum fratrem occideret fuisse centum annorum. Concedis item inter cædem Abelis & nativitatem Sethi annos centum. Habemus hic annos trecentos; atqui ducentos tantum & triginta postulamus. Magnas itaque tibi agimus gratias, verum tu caveto, ne fraudi tibi sit istæc tua liberalitas.

AD CAPUT TERTIUM.

CUm & ætatem & natale tempus. Mathusalæ ita liquide ostenderim, ut nemo vel paulo æquior non adquiescere debeat, non est ut aliquid ultra

ultra addamus. Stultum eſt argumentari illic, ubi rationi nullus vel eſt vel futurus ſit locus.

Sed quid minutias perſequimur? Ullumne majus inſcitiæ & impudentiæ exemplum poſſit excogitari, quam id quod hic denuo oſtendere conatur, Flavium Joſephum neſciviſſe linguam patriam, & nequidem inſpexiſſe codicem Hebraicum? Ipſe in vita ſua ſcribit ambulaſſe ſe per omnes Judeorum ſectas, jamque decimo quarto ætatis anno conſultum fuiſſe à Pontificibus & aliis Sacerdoribus de penitiori legum ſenſu. In fine antiquitatum, dicit excelluiſſe ſe in diſciplinis patriis præ cæteris Hebræis; Græcam vero linguam non niſi per Grammaticam addidiciſſe, accurata vero pronuntiandi ratione caruiſſe. Quin etiam Hiſtoriam belli Judaici antequam Græce ederet, jam Hebraica lingua divulgarat, ut ipſe in præfatione teſtatur. Hæc cum ita ſint, quid facias illis qui negant Ioſephum Hebraice ſciviſſe?

Videamus autem argumenta unde hoc efficere conantur. Abel Joſephus luctum interpretatur. Atqui hodie in Hæbræo codice legitur הבל quod vanitatem ſignificat, non אבל quod luctum notat. Sed oſtendere debuerant, uti nunc ita quoque olim ſcriptum fuiſſe in Hebraico exemplari. Non

Ioſephus tantum, ſed & Origenes ad Mathæum nomen Abelis ſic interpretatur. Imo & Euſebius, Theodoretus, alijque compures è patribus hoc vocabulum ſic reddidere. Et ratio nominis multo illa altera eſt manifeſtior.

Quæruut qua lingua Geon vel גיחון ſignificet ἀπὸ τῆς ἀναβολῆς ἀναδιδόμενον. Reſpondeo Hebraicum eſſe vocabulum & derivari à radice גח *prodire*, *erumpere*, idem prorſus quod ἀναδιδόναι. Jam vero quare Ioſephus dicat Nilum ab oriente profluere, & hoc quoque expediam. Nempe jam inde à temporibus Alexandri magni complures e veteribus, anteqnam Oceanus Indicus eſſet patefactus, crediderunt Nili fontes eſſe in India. Sic Virgilius, ſic Lucanus, ſic complures alij ex antiquis arbitrati ſunt, ut ad Melam docuimus. Nunc quoque addo Manilij teſtimonium, cujus verſus haud procul ab initio operis à nemine intellectos adſcribam.

Qui domuere feras gentes oriente ſub ipſo,
Quas ſecat Euphrates in quas & Nilus inundat.

Sed profecto hæc eſca non facit ad ſtomachū tuū.

Etiam in nomine Euphratis ignorantiæ à te accuſatur Ioſephus, quia nempe ſcripſit Φορὰ ſignificare σπεδασμὸν ἢ ἄνθος, ac ſi פרח legeretur in exemplari Hebraico. Quamvis velle te eruditiorem red-

reddere,id ſit teſtudini alas ad volãdum aptare: dicam tamen. Sic itaque habeas,Euphratem à Chaldæis dici Phorat à radice פרת vel פרש.Prius Chaldaicum eſt, alterum vero Hebræum. Ubi enim ש habent Hebræi, iſtic Chaldæi habent ת & contra. Duas vero ſignificationes habet id vocabulum, nam & diffuſionem ſeu dilatationem notat,ac præterea fimum. Dico itaque pro ἀνθῶ apud Ioſephum legendum eſſe ὄνθῳ vel ὄνθον, utrumque enim probum eſt juxta leges veterum Grammaticorum. Iam vero ſive hoc, ſive illud amplectaris etymum, valde utrumque eſt conveniens. Cum enim Tygris ubique ſit anguſtus & celer; Euphrates contra late exundat, ac late adjacentes ſtercorat agros.

Rectè quoque Ioſephus Δίγλαθ interpretatur τὸ μετὰ ςενότητῳ ὀξύ. Nempe abato ת in initio more Chaldaico דקל pro חדקל. Iam vero חד Chaldæis *acutus*, ὀξὺς, pro quo Hebræi dicunt חדד. Solent enim Chaldæi cum eadem radicalis litera bis occurrit unam elidere. Similiter pro קלל dicunt קל,id eſt paucus, exiguus, ςενός. Recte itaque Ioſephus qui Chaldaici fluminis nomen Chaldaice extulit, ac ut debuit interpretatus eſt; Tu vero ridiculus qui Ioſephum Hebraice neſciſſe adfirmas.

De Samaritanis literis miras promis nugas, cum dicis illas non multum discrepare ab Hebræis, & esse illud discrimeu, *Non tam in literarum substantia* (formam dicere voluisti) *quam compendio scribendi*. Inter tot Iudæos, qui in nostris vivunt terris, quique Hebraice ac Chaldaice norunt, nullum invenies, qui vel unam Samaritanam possit adsequi literam.

Ex loco Kircheri non video quid efficere velis. Iam ante quatuor decim sæcula nævi aliqui exstitere in codice Samaritico. Non mirum est temporum injuria & auctoritate Codicis Hebraici multiplicatos esse interea errores.

AD CAPVT IV.

NEgas te velle ea repetere quæ jam centies ab alijs recocta sunt, & tamen repetis. Quia vero magnum quid nobis promittis, si satisfaciam rationibus eorum, qui Cainanem ex Euangelijs expungendum censent, libenter tibi morem geram, non quod te adsensurum sperem (hoc enim si conarer efficere, adæquata captui tuo essent colligenda argumenta) sed quod existimem non ingratum fore apud veritatis amantes, si celebrem jam dudum

dudum quæſtionem compoſuero ac ſimul antiquam & vulgarem Euangelij & Lxx. Interpretum lectionem confirmavero. Quamvis autem ratio alium exigat ordinem, quam ipſe tenueris, ne tamen putes, me in nullo velle tibi gratificari, ſequar veſtigia tua.

Recte itaque dixi fidendum exemplaribus. Tu reponis, *ergo expungendum eſſe Cainanem, qnia vetuſtiſſimus Codex Bezæ eum non habuit, ac item alius Cantabrigienſis ſcriptus ante annos* M. CC. Mire te perſpicacem eſſe oportet, cui unum exemplar geminum comparuerit. Vide quam male Armachanum tuum legeris: is enim ubi de Cainane agit, unum eundemque eſſe docet codicem, quem tu hic diſtinguis. Suum enim exemplar Cantabrigienſi Academiæ dono miſit Beza.

Iam vero, licet in innumeris & novi & veteris teſtamenti exemplaribus nomen iſtius Cainanis abeſſet, quod tamen falſum, nullum tamen exinde peti poſſet argumentum. Ratio enim manifeſta eſſet ex eo, quod Eccleſia calculum Africani & Euſebij adprobarit & ſecuta ſit; adeoque miror non plura reperiri exemplaria, in quibus Cainanis nomen expunctum ſit.

Locum Beroſi, cum dicit Abrahamum δεκάτηγε-

νεᾳ̃ post diluvium fuisse male interpretaris, cum dicis initium sumẽdum à Semo, ita ut ille primam faciat γενεάν. Atqui Semus toto ante diluvium seculo natus est. Profecto nescis quid sit γενεά. Est nempe γενεὰ spatium quod duas sibi invicem succedentes interjacet nativitates. Latini ætatem vocant. Ac sic apud Matthæum, & alibi in Sacris literis vertere debuerant hoc vocabulum: male enim *progeniem* aut *generationem* reddidere, ac si idem esset γένεσις & γενεά. Ante diluvium itaque decem γενεαί. Prima γενεὰ comprehendit tempus quod ab Adami creatione usque ad natum Sethum effluxit. Decima γενεὰ est spatium quod à natali anno Noachi usque ad natales Sem, Cham & Japheth exspiravit. Post diluvium uno tantum anno elapso, natus est Arphaxat. Prima itaque γενεὰ post diluvium cõtinet spatium, quod nativitatem Arphaxat & Cainanis intercedit. Tempus quod à Cainane nato, usque ad natales Salæ effluxit, secunda est γενεὰ. Decimam itaque γενεὰν sive ætatem efficit intervallum à Thara nato usque ad Abrahamum. Similiter accipiendæ apud Matthæum xiv γενεαί, quas tu stupide nimis genealogias appellas. Primam ætatem conficit spatium ad Abrahamo ad Isaacum: decimam quartam vero, tempus quod ab ortu Jessæ ad natum Davi-

dem

dem exſpiravit. Vide quanto noſtra Arithmetica aptior ſit tua.

Hinc quoque corruit argumentum Armachani quod ex Origene ad Iohannem tract. 20. petere conatus eſt, cum dicit, *Abrahamum à primo homine viceſimum natum eſſe, decem enim γενεὰς eſſe ab Adamo ad Noe, & decem à Noe ad Abraham.* Primus nempe qui Cainanem non numerandum cenſuit, quamvis expungere non fuerit auſus, is fuit Origenes. Hic itaque ut prætermiſſo Cainane xx. γενεὰς ſive ætates efficeret ab Adamo ad Abrahamum, ſecundam ætatum decada non auſpicatus eſt à Diluvio, quemadmodum fecere Beroſus, Eupolemus, & Alexander Polyhiſtor, ſed ab Noacho: Inter Noachum enim & Abrahamum excluſo Cainane decem intercedunt ætates. Hactenus quidem bene, ſi ſic numerare libuerit. Sed quomodo ab Adamo ad Noachum decem aliquis efficiat ætates? Primam ætatem facit ſpatium quod effluxit à formatione Adami ad natum Sethum: nona itaque erit ætas tempus quod elapſum eſt à natali Lamechi uſque ad natalem Noæ. Deeſt itaque una γενεὰ, niſi dicamus illam exſpiraſſe antequam Adamus eſſet. Hoc autem abſurdum.

Pergis dein ſic argumentari; *ſi credendum auctoritati*

tati B. Lucæ, ſi conſenſui veteris Eccleſiæ, Kainan expungendus eſt. Tune bone vir ad conſenſum veteris Eccleſiæ provocas, cum ne unum quidem idoneum teſtem poſſis exhibere? *Nam*, inquis, *vetuſtiſsimi codices Evangeliorum ignorant hunc ὑστερόλιμαῖον Kainanẽ.* Unus tãtum. An ergo unus codex ſive ille Bezæ, ſive Cantabrigienſis vocetur, facit totam veterem Eccleſiam? Subdis mox; *Ignorant eum codices Hebræi, eniam ante nativitatem Chriſti & tempora Ioſephi.* Cauſam addis quia Cainanẽ iſtum agnoſcunt, nec Onkelos, nec Jonathan. *Jam vero conſtat*, inquis, *illas paraphraſes ante natum Chriſtum fuiſſe factas.* Et hic quoque hallucinaris. Paraphraſis illa, quę Ionathanis dicitur, ſex minimum ſeculis poſt Criſtum cõſcripta eſt. Mentio in ea fit Lombardiæ Numerorum Cap. xxiv. v. 24, Et ne quis exiſtimet vocabulum hoc à mala manu acceſſiſſe, vide quã ſtulta ſit tota illa paraphraſis & plena recentiorum Iudæorum fabellis. Geneſ. cap. 1. 21. Ubi habet Moſes; *& creavit Deus cete grandia*, addidit Ionathan, *nempe Leviathan & conjugem ejus.* Cap. 2. 7. *pulverem è terra*, Ionathan; *pulverem è loco domus ſanctuarij.* Cap. 3: 21. *Fecitque Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas.* Ionathan; *Fecitque Dominus Deus Adamo & uxori ejus veſtes pretioſas è pelle ſerpentis, qua exuit*

eum

eum pro cute corporis ipſorum. Cap. 4. 1. *Et Adam cognovit uxorem ſuam.* Ionathas; *Cognovitque Adam uxorem ſuam prægnantem eſſe à Samaele genio, è quo concepit & peperit Cain, qui ſimilis erat ſupernatibus, non infernatibus* &c. Confer cætera & plura ac ſtupenda magis invenies diliria. Et hæc tamen eſt illa paraphraſis, quam tu non dubitas præferre divinæ Lxx Interpretum verſioni: illæ inquam verſioni, qua per tot ſecula univerſa Chriſtiana Eccleſia, ac ipſi etiam uſi ſunt Apoſtoli. Onkeloſi paraphraſin quod adtinet, illa aut ejuſdem eſt ſeculi, aut certe non multo antiquior. Vide quæ ſuperius monuimus.

Cum apud Joſephum Cainanem expunctum eſſe docuerim, idque ex ſerie annorum manifeſte liquere dixerim; ſtolidum eſt id quod quæris, quo argumento & cui bono ſic credam.

Sequens argumentum tuum hoc eſt, *quod Philo Iudæus, Ioſepho antiquior & doctior hunc Cainanem omittit.* Non Philonem, ſed Annium Viterbienſem dicere dubueras. Ex illius quippe Biblicis antiquitatibus hæc hauſiſti. Vide, bone vir, qualem ſcriptorem Ioſepho & antiquitate & doctrina præfers.

Urges dein conſenſum Eccleſiæ, ac Cainanem expungendum eſſe pronuntias. Ut vero oſtendas eum nec in Lxx Interpretum verſione, nec in Euan-

gelio Lucæ olim exſtitiſſe, adfirmas Cainanem iſtum ignotum fuiſſe Euſebio, Theophilo Antiocheno, Julio Africano, Epiphanio, & Hieronymo. Quot nomina, totidem errores hic commiſiſti, dum temere alios deſcribis. Incipiamus ab antiquiſſimo, nempe à Theophilo Antiocheno. Quod itaque dicis huic ignotum fuiſſe Cainanem, id omnino eſt falſum. Quamvis enim in illo non compareat, manifeſte tamen olim fuiſſe ex eo colligi poteſt, quod à diluvio ad nativitatem Iſaaci numeret annos 1150. Totidem annos huic ſpatio adtribuit quoque Clemens Alexandrinus. Unde quid ſequatur ſatis perſpiciet, qui non ſiniſtre ſapit.

Super eſt ut doceamus iſtum Cainanem non ignoratum fuiſſe Africano, Euſebio, & Hieronymo, ſed ſtudio prætermiſſum. Quamvis ex ipſo Euſebio, ac præterea ex Auguſtino, Syncello, alijſque id ipſum demonſtrare poſſimus, ſupervacuum tamen exiſtimamus multis probare id quod uno ſolo confici poteſt argumento. Cainanem enim hunc fuiſſe in illo LXX. interpretũ codice, quem operi ſuo inſeruit Origenes, locupletiſſimus teſtis eſt Gazæus Procopius, qui obelos & aſteriſcos omnes Origenianos, hoc eſt diſcrepantias Hebraicorum &

Græca-

Græcanicorum exemplarium collegit. Is itaque adfirmat locum LXX Imterpretum de Cainane obelo fuisse notatum. Verba ipsius Procopij hæc sunt; ἐν τῷ Ἑβραικῷ ἔχει, ὡς Ἀρφαξὰδ τὸν Σαλὰ γεννᾷ, καὶ τὸ ῥῆσον ῥῆτὸν ὠβέλισαι.

Quis jam negare audeat Cainanem hunc cognitum fuisse Origeni, quique non animadvertat causam, quamobrem Africanus, eumque secuti Eusebius, Hieronymus, Epiphanius, imo & magna pars Græcæ Ecclesiæ, in ætate mundi computanda, eum omiserint? Non defuere tamen etiam ante Hieronymum qui factum hoc Africani & Eusebij castigarint, uti Anianus & Panodorus Ægyptij, quorum sententiam secutus est Syncellus. Sed neque è recentibus, etiam illis qui Hebraicum sequuntur calculum, desunt qui graviter hoc nomine reprehendunt Africanum & Eusebium. Scaliger certe summam vocat ἀλογισίαν, quod cum in cęteris secuti sint LXX Interpretes, in solo Cainane dissenserint.

Profers dein locum ex Isagoge Chronologica parentis mei, quo vulgarem calculum adstruas. Quamvis autem cara & veneranda mihi sit ejus memoria, liceat tamen mihi ab illo dissentire, præsertim cum tam justa id faciam caussa; ut nequaquam

dubitem ſi per fata etiamnum ipſi ſuperſtiti eſſe liceret, quin rationibus meis adquieſceret. Quia vero cæteris argumentis ſatis jam reſpondimus, examinabimus tantum locum Irenæi & Theophili ad Autolycum, ſoli enim illi, niſi fallor, ſuperſunt, è quibus Cainani lis intenditur.

Quia itaq; Irenæus lib. III. cap. XXXIII. numerat LXXII generationes ab Adamo uſque ad Chriſtum, non LXXV. ut vulgo, non inde mox conficitur Cainanem iſtum, ac præterea Matthat & Levi non debere numerari. In manu exaratis codicibus, quos inſpexi, numerus ille non integris vocibus concipitur, ut vulgo, ſed ſic LXXU, ut neſcias, utrum 72 an potius 75 iſte Itenæi interpres exprimere voluerit. Ego poſtremum probo. Sequentia vero, cum dicit totidem quoque gentes ac linguas eſſe, non adverſantur, imo confirmant potius. Clemens Str. I. Εὔφορος δὲ καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ἱστορικῶν καὶ ἔθνη καὶ γλώσσας πέντε καὶ ἑβδομήκοντα λέγουσιν εἶναι. *Euphorus autem & alii multi hiſtorici gentes & linguas ſeptuaginta quinque eſſe dicunt.*

Quamvis hæc ſufficiant, & forſan nimia ſint, unum tamen etiamnum addam ſcriptorem antiquiſſimum, quique æqualis fere fuit LXX Interpretibus, unde clare adparebit Interpretes illos agnoviſſe

visse hunc Cainanem. Scriptor is est Demetrius, qui historiam suam de regibus Judęorum perduxit usque ad initium Ptolemæi Philopatoris. Is itaque apud Eusebium de præparatione Euang. lib. IX. à diluvio, usque ad profectionem Jacobi in Ægyptum annos numerat mille trecentos & sexaginta. Nec vitiatos esse numeros ex eo liquet, quod ab Adamo ad prædictam profectionem colligat annos 3624. Hoc Demetrij loco persuasus etiam fuit Armachanus, & adeo quidem, ut fateatur, Cainanem etiam agnitum fuisse ante Christum. Nimis autem σοφὸν φάρμακον est, quo huic malo occurrere est conatus. Putat namque duas jam ante Christum versiones universæ S. Scripturæ fuisse, priorem quidem LXX Interpretum fideliter, & ad verbum ex Hebraico expressam: alteram vero & ipsam quidem ex Hebręo codice translatam, sed longe liberiori stylo, fuisseque paraphrasin potius quam versionem. Priorem versionem incendio Bibliothecæ Alexandrinæ consumptam putat. Negat vero in ea existisse Cainanem, idque auctoritate codicis Hebraici hodierni, ac præterea Berosi. Verum quam male locum Berosi intellexerit, jam satis ut opinor ostendimus. In altera vero versione, seu paraphrasi potius Cainanem locum habuisse

buisse putat. Sed profecto secunda ista versio, tota est commentitia, & ut sic dicam, imaginaria, cum à tempore Lxx Interpretum, usque ad Aquilæ translationem, vel ipsius Origenis testimonio, nulla alia facta sit seu versio, seu Paraphrasis Pentateuchi. Sed & sequentium S. Scripturæ librorum, quorum nonnulli regante etiamnum Philadelpho, alii mox posteà fuere translati, una tantum exstitit versio. Agemus de his sigillatim alio loco.

AD CAPUT V.

HOc capite nescio quas ratiunculas colligis, quibus ostendas nihil ad rem facere ea quæ de proportione pubertatis ad reliquam vitam monui. Vin dicam aliquid quod ad rem faciat? Non mihi natus videris, bone vir, tractandis literis.

AD CAPUT VI.

QVamvis Philosophi non sit nugis respondere, ne tamen inhumanus tibi videar, pauca reponam. Quod itaque Herodoti γενεὰς sive ætates, quarum unaquæque constituit annos $33\frac{1}{3}$, accommodas ad ætates Patriarcharum qui ante Abrahamum

mum fuerunt, in eo plurimum erras. Γενεαὶ ante diluvium fuere duorum plus minus seculorum. A diluvio ad Abrahamum & Isaacum dimidio fermè breviores sunt factæ. Postea γενεαὶ fuere 60, dein, 50, 40, & tandem denique 20 annorum: Itaque γενεὰ Græcis Grammaticis aliquando est spatium 20, aliquando 25, 30, 33, nonnunquam etiam plurium annorum. Imo etiam 100 aliquando, uti est apud Theophrastum, vel etiam 110 annorum intervallum continet γενεὰ; ut docet Phlegon. Recte itaque notatum Porphyrio, quanto vetustiores, tanto longiores esse γενεάς. Lex nempe est naturæ non in hominibus modo, verum etiam in omnibus animalibus & plantis, ut quanto longior sit vita, tanto quoque longiores sint singulæ partes, è quibus vita conficitur. Non quidem semper contingit, ut sibi longa sit pueritia aut juventus, istic quoque diuturna sequatur senectus, sæpe quippe à causis externis turbatur naturæ ordo: verum illud perpetuum est, ut longam senectutem longa infantia, & longa precedat pubertas, ac ut partes respondeant toto. Frivolum vero est dicere primos Patriarchas potuisse, si voluissent, illa quoque ætate liberos gignere, qua nunc gignuntur. Cur nullum ejus rei exemplum habemus in S. literis? Cur toto illo ante

te diluvium tempore decem tantum γενεὰς sive ætates fuere?

Falsum & absurdum esse dicis id quod dixi, longam vitam necessario longam præcedere pueritiam. *Nam*, inquies, *totum hoc libri arbitrii consuetudinis est*. Si falsum & absurdum sit id quod ego sciripsi, & si vere & sapienter dictum sit, prolem gignere anno ætatis duodecimo, & vivere ad mille ferme annos, totum hoc liberi arbitrii & consuetudinis esse, verbum quod addam non habeo.

Dixeram Isaaci ævo quadragesimum ætatis annum pro juvenili fuisse habitum; Reponis, *Si pro virili dicas, concedam: de juvenili ætate nulla mentio.* Profecto nescire mihi videris quid vir sit. Non ætas aut conjugium facit virum, sed ipse generationis actus: nam facultas gignendi etiam in pueris esse potest, qui tamen propterea non sunt viri. Me vero rectè esse locutum si non tuapte sponte possis colligere, & alibi non legeris, at certè legisti apud Sulpitium tuum. Sic ille; *Tum Abraham Isaac filium juvenilis ætatis videns, siquidem tum quadragesimum annum ætatis agebat.*

Dixi juxta vulgarem calculum Noachum vixisse usque ad 58 Abrahami annum, Semum supervixisse Abrahamo 34 annis, & quod hac ratione Semus

mus cognoviſſet 12 vel etiam 13 hæredem. Ut pagellam facias hic me reprehendis, ac ſexaginta annos de hac ſumma auferendos eſſe mones, ac duos hæredes. Sed vero cum tempus natalium Abrahami 60 annis ſerius eſſe collocandum, ipſe quoque ſignificarim, minime ut puto opus erat hæc referre, niſi forte adeo me tyronem eſſe exiſtimes, ut neſcire me putes, quod uni ſummæ additur, id de altera eſſe auferendum. Dum vero me reprehendis, vide quam parum ipſe tuum intelligas calculum, cum Semum quatuor annis ante nativitatem Jacobi & Eſavi obijſſe ſcribis. Non quadriennium ſed decennium dicere debueras.

Fabellam Joannis de Temporibus exploſam jam ſępius ut calculo Maſſorethico opem feras, denuo in ſcenam producis. Huic ſeni addis quoque alterum, qui ante xx fere annos in Anglia obijt, qui novem aut decem regibus fuit æqualis. Verum non hoc, ſed illud tibi probandum erat, aliquem unquam decimum quintum, vel etiam decimum vidiſſe nepotem. Alterum enim quin fieri poſſit, quis dubitat, cum etiam unus annus decem & plures aliquando abſumpſerit reges?

Sed profecto ecquis eſſet nugarum finis, ſi illa quę ſubduntur Ectenum, Lelegum, aliarumq; gentium-

tium quæ vocat regna excuterem? Sed & illa quæ mox ſequuntur de Noacho, quod ille in Italia fuerit Saturnus, in Sinis Vitey, alius alibi, quam ſunt ſtolida & inepta? Profecto iſte Noachus merus fuit lycanthropus & merum ſpectrum, ſi tam diverſis temporibus & locis ſe videndũ præbuerit. An non animadvertis, bone vir, te nihil efficere argumentis tuis? Non enim hoc probare debueras, veteres obſcuram quandam Noachi habuiſſe notitiam, ac Oannem Beroſi eſſe Noachum; verum illud, Oannem iſtum pertigiſſe uſque ad decimam generationem, Semum vero ejus filium diu æqualem fuiſſe Iſaaco. Rationem reddere debueras, qui fieri potuerit ut multis adeo toto orbe conſtitutis regnis, tot ortis bellis, nuſquam tamen regnarit Noachus, nuſquam ejus valuerit auctoritas, non in ædificatione turris Babylonicæ, non in compeſcendis nepotum diſſidijs & bellis. Mirum quoque ubinam Semus delituerit, ille omnium gentium Aſiaticarum pater, ac ignotus & inſalutatus ab Iſaaco, & ab ipſo etiam Abrahamo ſupremum clauſerit diem. At vero juxta calculum verum, mortuus eſt Sem paulum ante ædificationem turris, Noachus vero 150 circiter annis prius.

A D

AD CAPVT VII.

MIllies ab alijs dicta repetis hoc capite. Poſtulas ut conſulam illos qui ex profeſſo de mira illa hominum multiplicatione ſcripſerunt. Adeo me obruiſti tuis nugis, ut alienis vacare non poſſim. Nam ſi optima ſint ea, quæ ex alijs delibaſſe te ſcribis, qualia demum erunt reſidua, ad quæ remittis? Vide, bone vir, quam undique tui ſis ſimilis, & ſive alios compiles, ſive ipſe aliquid dicere coneris, ſemper & ubique pecces. Minutiora monere non adtinet, qualia ſunt illa, *cum ſexcentis peditum militariter inſtructorum agmine*, & quod LXXII Jacobi poſteros vocas LXXII *perſonas*, tanquam ſi larvæ fuiſſent. Videamus calculũ. Ut oſtendas ex tribus Patriarchis poſt diluvium potuiſſe ſpatio centum annorum ſat multos produci homines ad ædificandam turrem Babylonicam, & ad condenda quinquaginta regna, ſic argumentaris. Si ſpatio 215 annorum ex hominibus 72 potuerunt naſci 600000 virorum millia, utique ſpatio centum annorum ex tribus Patriarchis, tribuſq; eorum conjugibus potuerunt naſci 50000 millia fortium virorum. Parum profecto in Arithmeticis profeciſti. Sic namque calculũ poſuiſti, 72 dant 600000, ergo 6 dabunt 50000. Quantumvis exiſtimemus, longævos illos, qui ſtatim poſt diluvium floruere Patriarchas, æque bre-

vibus ſpatiis generaſſe, atque poſtea factum ſit in Ægypto, quod tamen ordini naturæ repugnat, cum pleraque longęva animalia, longævam quidem, ſed raram & non numeroſam procreent ſobolem; ut tamen ita factum fuiſſe concedamus, non tamen tua hic ſuccedit ratiocinatio: non enim hominum tantum ad homines, ſed & temporis ad tempus habenda erat ratio: quanquam ne hoc quidem ſufficiat. Sic numeros diſponere debueras. Ex 72 hominibus ſpatio 215 annorum nati ſunt viri 600000. quæritur quot viri hac ratione naſcantur è ſex hominibus ſpatio annorum 100? Dico non omnino futuros 350. Tu jam ſtrue turrem Babylonicam, ac regna conde quinquaginta.

AD CAPUT VIII.

ECquis tandem erit ineptiendi modus? Sperabam meliora, ſed nugæ nugis ſuccedunt. Si omnia Uſſerij Armachani ſcripta excuſſiſſes, nihil tamen in omnibus æque abſurdum reperiſſes, ac ſint illa, quæ tu hic laudas. Mirum qui fiat, quod cum nec ſentias nec intelligas ea quæ bona ſunt in ſcriptoribus, quantumvis diu immoreris, abſurda tamen & nugatoria tam cito olfacias. Alterutrum ſane neceſſe eſt, ut magno valeas acumine in dignoſcendis ineptijs, vel ut ipſæ ineptiæ ea inter ſe cognatione & ſympathia colligentur, ut ad fœcundiſſimum

diſſimum tuum caput, tanquam ad natale ſolum & ſui fontem, certatim ſua ſponte properent. Sed veniamus ad Vſſerium. Is itaque cum videret Babyloniorum & Chaldæorum æram longe excedere tempus diluvij, ut Judæis hodiernis conſuleret, talem inſtituit calculum. Annos quidem priorum ſeptem regum Chaldæorum integros reliquit. Sed neque in annis ſex regum Arabum, qui Babyloniis præfuere, quidquam mutavit. Ab illo vero intervallo quod à Nino uſque ad Sardanapalum extenditur, octo minimum ſecula amputavit. Toto enim huic ſpatio annos tantum 496 tribuit. Ne vero ut univerſi temporis menſuram, ita quoque ſingulorum regum ſpatia breviaſſe deprehenderetur, omnium eorum, qui à Ninya ad Sardanapalum uſque in Aſſyrios Imperium habuere, non tempora tantum, ſed etiam nomina prætermiſit. Adeone quis æquo eſſe poſſit animo, cui hoc factum non diſpliceat? Cautius ſane fecere, qui illos Chaldæorum Reges, qui Ninum & Belum præceſſere fabuloſos eſſe dixere. Factum vero Armachani ratione prorſus & auctoritate caret. Fruſtra enim patrocinium quæri ex Herodoto, mox docebimus.

Falſum eſſe dicis dynaſtias Ægyptias aliquot ſeculis Abrahamo eſſe vetuſtiores, *Niſi Manethonis inſana*

insana figmenta hic admittere velimus. Me toties falsitatis accusas, & non vides, miselle, te auribus teneri? Profecto si intelligeres ea quæ de dynastijs Ægyptiorũ scripsimus, non tã temere effutires ex solo Manethone liquere Ægyptij regni antiquitatẽ.

Argumentum Usserij (ex eo enim hausisti) quo ex Constantino Manasse ostendere conatur, regnatum fuisse apud Ægyptios per annos 1663. quam sit ridiculum dicemus ad cap. XI.

Nomina Sinensia deorum dearumque quæ collegisti ex eo auctore, qui ante seculum aut aliquanto prius somnia sua de Sina & Sinensibus in lucem dedit, præclara sunt, & digna quæ à te memoriæ mandentur.

Hoc tamen præmoneo recte te facturum si nugas Cathajorum non commiseris cum Chronologia Serum, vel Sinensium, ut tu mavis. Nempe quia & Cathayam, & omne id quod ultra Iaxartem est, Sinam Persæ vocant, ideo forsan Cathayam & Sinam eandem esse existimasti.

De Seribus rectius feciſſes, si omnino tacuisses. Quam male verba Sinensis Chorographi intellexeris, clarum fiet ex ijs quæ ad cap. XII annotabimus. Optime vero feceris, si omissa omni ratiocinatione, quod facis, semper facias, & numquam ces-

ses

ſes ingeminare, *falſum eſt*. Sic enim agendo, nunquam cauſa cades.

AD CAPVT IX.

ANni vitæ Patriarcharum, qui poſt diluvium floruere, ideo fuere omiſſi, quia non opus fuit decernere quænam lectio verior foret: iſta enim varietas nihil facit ad ætatem mundi. An in Cainane reducendo abſurdus ſim, ut tu dicis, judicent nunc alij. Verba Cenſorini, quæ fundamenti loco habes, etiam pueris notiſſima ſunt: ſed ſive ſic, ſive ut alij in fabuloſum, heroicum & hiſtoricum tempus omne ævum diſtribuas, quid demum inde concludes, acutiſſime mortalium?

AD CAPVT X.

JActa ſunt fundamenta. Habemus tandem temporis & veritatis ſeminarium. O fœcundum nugarum proventum! necdum inducta eſt occa, & jam meſſis adeſt. Vide tamen ne ipſe tuis nugis obruare miſer, ſi eas cumulare pergas. Caute itaque facis quod duce & ὑπερασπιστῇ utaris Uſſerio, & illius monitis & rationibus, etiam non intellectis, tam fideliter obtemperes.

Dixeram

Dixeram initium obſervationum aſtronomicarum apud Chaldæos incidere in annum ſexageſimum primum poſt diluvium ſecundùm vulgarem ſupputationem. Reſpondes *imo in annum* 115 *juxta Uſſerium, itaque annis* 54 *me à ſcopo aberraſſe.* Valde mihi profecto videris facetus. Si annum 115 dixiſſem, utiqne ſic reſpondiſſes; *imo* 61 *juxta Scaligerum, Petavium & alios, itaque me* 54 *annis à ſcopo aberraſſe.* Nempe differentia illa nata eſt ex anno natali Abrahami, ut jam aliquoties monuimus.

Verum eſt id quod ſcripſi, anno poſt diluvium 61, nec Babylonem, nec regem, nec Chaldæos, nec ullas obſervationes Aſtronomicas fuiſſe. Quod ſi annos 54, vel etiam totos iſtos 60 addamus, ac ſtatuamus non tantum natum fuiſſe Nimrodum, verum etiam jam regnum tenuiſſe ac Babylonem condidiſſe, licet hoc fieri minime potuerit, maxime tamen abſurdum fuerit exiſtimare, viguiſſe jam tum aſtrorum ſcientiam. Aſtrologiam primi exercuiſſe & alijs tradidiſſe dicuntur Abrahamus & pater ejus Thara. De Abrahamo manifeſtum eſt Beroſi teſtimoniũ, cum dicit eum fuiſſe virum τὰ χαλδαϊκὰ ἔμπειρον. Hunc ſecutus eſt ejuſdem ſeculi ſcriptor Eupolemus, qui de Abrahamo agens dicit, eum inventorem eſſe Aſtrologiæ. De utroque ſimul

teſtis eſt locupletiſſimus Philo libro de nobilitate. Jam vero cum ſcripſerit Callifthenes antiquiſſimas obſervationes aſtronomicas quas reperire potuerit anticipare tempus captæ ab Alexandro Babylonis annis 1903, idque intervallum mille ferme annis diluvio ſit poſterius, incidatque in annum Tharæ 124, ſex nempe annis antequam naſceretur Abraham; quis eſt qui non videat quam bene & accurate omnia in hoc calculo ſibi conſtent. Judicent nunc eruditi lectores num hæc meliora ſint illis, quæ tu nullo ordine, nullo delectu & judicio, ex Armachano deprompta, temere in chartam excuſſiſti. Sed perinde tibi eſſe quidquid ſcribas, ſeu potius deſcribas, facile intelliget, qui Catalogum illum tuum regum qui ante diluvium apud Chaldæos regnaſſe feruntur, cum ipſo Africano contulerit. Quot enim verba totidem quoque continet errores.

De Chuſo, quæ dicis, valde ſunt inepta: quomodo enim à Chuſo plurale Chaſdim poteſt derivari? Nempe ut nomen & gentem Chaldæorum jam ſtatim à diluvio exſtitiſſe oſtenderes, futile hoc tibi placuit commentum. Quid clarius quam Chaſdim dictos eſſe à Chaſed, filio Nachoris & Melchæ. Nec obſtat quod Abraham Chaldæus vocetur

tur. Quam crebræ ſint tales prolepſes in S. literis, pluribus in locis docuit Bochartus, cujus viri ſcripta ſi intelligeres, multo plus ſaperes.

Sed & in illis quæ ſequuntur nominibus, ut ſententiam Armachani tuearis, quam multos committis errores! Primum quidem quod nomina regum Aſſyriorum ex corruptis apographis & collectaneis haurire maluiſti, quam ex ipſo Africano. Qui tibi ſunt *Anabos*, *Lamprais*, *Paryas*, *Dercylus*, *Eupacmes*, *Pyritiades*, illi Africano ſunt, Ἄνεβος, Λαμπρᾶις, Παρυᾶς, Δερκύλος, Ἐμπάκμης, Πυριάδης. Græca dicis eſſe hæc nomina. Verum ſi vis ut exiſtimem, te aliquid ſaltem Græce ſcire, doce ubinam alibi hæc vocabula occurrant, & quid Græce ſignificent, Εὐπάκμης Παρυᾶς, Λαμπρᾶις. Nonne vides, bone vir, te & Uſſerii cauſam male agere, tuam vero imperitam in Græcis prodere quam maxime? Eſto tamen ut aliqua hic vocabula Græca occurrant, adeone quis in literis hebes, ut neſciat nomina Barbara, ut aliquid notent à Græcis aut inflecti ſolita, aut idem ſignificante vocabulo exprimi? Qui in ſacris literis eſt Iſaacus, is ſemper γέλως Eupolemo dicitur. Chuſum vero filium Chami, Asbolum Græci vocant, quia nempe χῦς & ἄσβολος idem. Pudet talibus nugis aliquid reponere.

Di-

Dicis dein à Ninya ad Sardanapalum, etiam Herodoti calculo, effluxisse annos fere quadringentos. Dum Armachanum sequeris & hic quoque turpiter laberis. Herodotus libro primo scribit de Assyriis, postquam quingentis & viginti annis Asiam superiorem obtinuissent, primos Medos incœpisse ab illis deficere. Nullo hoc loco vel Ninyæ vel Sardanapali mentio apud Herodotum. Verba vero Herodoti non ita, ut Armachanus, sed vero sic interpretanda. Nempe postquam Assyriorum imperium stetisset annis 520, paulatim ab illis Medos deficere incœpisse, ac sui juris gentem esse factam, absque tamen ullis regibus. Primum apud illos tyrannidē invasisse Dejocem. Ctesias, cujus auctoritati in Persicis plurimum tribuunt veteres, cum tamen in cæteris scriptor fuerit mendacissimus; hîc dissentit ab Herodoto: non enim à Dejoce, sed ab Arbace regnum Medorum auspicatus est, & jam ab illo Ninum urbem & partem Assyriæ occupatam prodidit, quod Herodotus demum à Cyaxare, qui fuit octavus ab Arbace, factum tradit.

AD CAPVT XI.

IN Ægyptiorum regum catalogis malle te dicis, ut pro Mene ubique ponatur Misraim. Valde hic

tibi callidus videris. Id enim si obtineres, postulares pari jure pro isto primo Sinensium rege Noachi nomen substitui. Id si succederet; porro instares, ac pro illo Ægyptiorum & Sinensium calculo, Hebraicum velles adfigi. Hoc si fiat, quis dubitet quin omnium inter se gentium tempora ad unguem conveniant? Verum mittamus has ineptias, & veniamus ad Usserium, hoc est fundamentum totius tuæ Chronologiæ Chaldaicæ & Ægyptiacæ.

Dicis itaque quod juxta supputationem Usserii, initium regni Ægyptiorum incidat in annum mundi 1816. Rationem vero supra adtulisti cap. VIII. nempe *quia ad Cambysem usque regnatum apud eos annis* 1663. Hoc tempus dicis incidere in ætatem Misraimi, duobus ferme seculis ante Abrahamum. Reperta cerere, mavis suillis pasci dapibus, quam nobis aliquid debere. Vide, bone vir, ut à nobis recedas, qualia probes deliria. Armachanus, quem tu cœco potius impetu, quam ratione ductus sequeris, hunc calculum acceptum fert Constantino Manasse, cujus putidissimum Chronicon versibus scriptum politicis exstat. Verum miror non observasse virum, alias doctum, quam hoc fieri non possit. Constantinus enim iste primum Ægypti Regem facit Abimelechum, qui amore Saræ Abrahami

conjugis

conjugis exarserit. Jam vero si Abimelechus primus rex secundum hunc nugatorem, quomodo ex eo probari potest, regnum Ægypti duobus ferme seculis Abrahamo esse vetustius? Hic primus Armachani error. Alter error est, quod cum Manasses iste scribat regnum Ægyptiorum durasse annos 1663, finem regni Ægyptiaci retulerit ad Cambysem. Atqui etiam postea in Ægypto regnavere reges Ægyptii, nempe usque ad tempora Alexandri Magni. Jam vero computet aliquis tempus quod ab Abrahamo ad Alexandrum usque effluxit, secundum Græcorum supputationem, inveniet tempus quod designat Constantinus iste. Nemo vel paulo eruditior est qui nesciat Eusebiũ tempus historicũ ab Abrahamo & Nino incœpisse. Ille autem destructionem regni Ægyptij conjicit in annum M. Dc. Lxv i. Judica nunc ipse, num nostra arithmetica longe sit aptior tua, & num jure meritoque à te postulare debeam, ut in Catalogo, quem ex Armachano descripsisti, expuncto Misraimo & Mene, Abimelechum primum facias Ægypti regem. sic omnia cum Constantino Manasse, qui est Chronologiæ tuæ Ægyptiæ basis, optime convenient.

AD CAPUT XII.

HIc demum ſtrenue tibi rem gerere videris, ſed profecto nunquam turpius temetipſum dediſti. Nempe hic te deſtituit Armachanus tuus. Hoc ut ipſe quoque cognoſcas examinemus invictum illud argumentum, quod toties repetis, quo Sinici regni antiquitatem eludere conaris. Dixeram tempus Sinarum hiſtoricum incipere annis ante natum Chriſtum 2847. Tu hæc reponis; *Si vel ipſo Martinio teſte, uſque ad annum ante Chriſtum* 2207, *Sinenſes fatentur nihil certi ſe habere in hiſtoria ſua, quomodo Serum tempus hiſtoricum incipit annis ante Chriſtum* 2847? Concludis itaque anno ante Chriſtum 2847 incipere tempus fabuloſum: anno vero 2207 ante Chriſtum incipere demum tempus hiſtoricum. Nimius profecto hic eſt tuus ſtupor. Adſcribam Martinij verba, ut quam immanem hic commiſeris errorem, ipſe quoque cognoſcas. Sic itaque ille; *Sciendum itaque extremam hanc Aſiam, primum ſeptem habuiſſe Imperatores, quorum ab electione per ſuffragia dependerit electio, ab anno nimirum ante Chriſtum natum* MM. DCCC. XLVII, *uſque ad* MM. CC. VII. *ante quæ tempora nihil ſe veri habuiſſe in ſuis hiſtoriis fatentur Sinæ, dein hæreditaria fuit ſucceſſio.*

Aperi

Aperi, si potes, oculos, ut videas quam siniſtre verba Martinii intellexeris. Non enim dicit, ante annũ 2207, ſed ante ſeptem illos Imperatores, qui regnavere ab anno ante Chriſtum 2847, uſq; ad annum 2207, incertam eſſe Sinenſium hiſtoriam. Satiſne hæc tibi clara videntur? Cunctaris forſan. Addam itaque alium Martinii locum, qui in ipſo operis limine occurrit. *In Aſia vero ipſa (ſaltem poſt communem illam orbis eluvionem) nulla pars hac extrema, aut nobilior, aut antiquior, aut cultior fuit, ſive politicam gubernandi rationem, ſeu literarum uſum ac peritiam ſpectes. Nam ejus hiſtoria ab ipſis Sinis jam ab antiquiſſimis temporibus conſcripta, ter mille annos fere continet ante natum Deum, ut clarius patet ex noſtra extremæ Aſiæ hiſtoriarum collecta epitome & Chronologia. Jam tum illi literas, Philoſophiam quæ ad mores pertinet, & mathematicas ſcientias imprimis habuiſſe feruntur, quod & antiquiſſimæ ſiderum obſervationes abunde oſtendunt, & ipſæ regnandi leges vetuſtiſſimis exaratæ volumnibus, & ad hæc ipſa tempora ſuperſtites docent.* Plura ex ipſo Martinio adferrem loca, ſed jam te perſuaſum exiſtimo. Vide bone vir, quam fruſtra triumphes, & quam miſere per caputque pedeſque de ſublimi deturberis, &, quod male te habebit, ab illo Jeſuita, quem tibi patronum fore ſperaveras. Supereſt itaque

que ut quod infra adſtruere conaris, multo nunc certius adfirmes, ac diabolum auctorem & architectum facias chronologiæ Sinicæ. Diaboli itaque ſint Sinæ, Ægyptii, & Chaldæi, & Chronologiæ ipſorum vocentur diabolicæ: tua vero Chronologica deliria vocentur Spiritus ſancti oracula.

Subruto fundamento ac avulſa radice opus non eſt ut ultra aliquid addamus. Quis enim fructus, aut quid Sinenſem attinet Chronologiam, ire per tot fabellas quas partim è bonis, partim è malis libris tranſcriptas, miro nectis ordine? Quid Inacho, Apollini, Saturno, cæteriſque dis & deabus, quorum facis mentionem, cum Sinenſum annis? Nempe ut oſtenderes, quemadmodum Græci, ita quoque Sinenſes ſuas habuere fabellas. Quãvis enim non bene intelligam quid volueris, ſic tamen interpretandum eſſe exiſtimo hoc tuum ænigma. *Nemo opinor refragabitur, ſi id ipſos Græcos & Latinos feciſſe oſtendi poſsit, & ſi Græcis, etiam Sinenſibus, facere licuiſſe.*

Multa dein nugaris de Viteyo, rege & architecto primo, ut dicis, quæ omnia deſumpta ſunt ex futiliſſimo illo auctore, cujus ſuperius mentionem fecimus. De Confutio ſimiliter nugaris, cum antiquiſſimum illum eſſe dicis ſcriptorum Sinenſium. Sed & iſtæ Ægyptiorum ad Sinas coloniæ quas ex Kir-

Kirchero intempestive admodum adstruere conaris, quam sunt absurdæ? Profecto iste tuus Kircherus quamvis mihi olim Romæ amicus, vir fuit in Philologicis prorsus tui similis, nisi quod longe ingeniosior fuerit & eruditior. Non itaque mirum, tanti à te fieri Oedipum ejus, quem tamen amici nollent ab illo scriptum. τὸν ὅμοιον ἄχρι ὁ θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον.

Illud quod obiter de Seribus mones, recte quoque hos Sinenses adpellari, rectius multo tacuisses. Pleraque enim, ne uno quidem excepto, falsa sunt & absurda: nunquam Seres Sinensium sibi vocabulum imposuerunt, nec unquam ab aliis impositum susceperunt. Non adeo displicent Seribus sua nomina, ut ea velint exoticis permutare. Sinæ vocabulum, vel ut ipsi scribunt China, non ex Siam vel ex Cocinchina accepere Lusitani, sed ex Ptolemæo: nec hoc ipsi diffitentur. Jabella de Cin Cin excogitata ab illis qui primi de Sinensibus scripsere, merito à Martinio exploditur. Ipsam Martinii opinionem quod adtinet, nec illa placet. Non dubito, quin mutet sententiam, si aliquando videat ea, quæ ad Melam notavimus. Hippophagi illi tui prorsus sunt absurdi, Scythæ sunt Hippophagi & manifeste eos à Seribus distinguit Ptolemæus. Sed tamen, inquis, etiam Seres vescuntur equina.

Esto, an tibi proptea licebit Serum & Sericæ vocabulo rejecto, novam invehere appellationem? Quod autem dicis Seres dictos à serico, hoc tantumdem est, ac si diceres Britanniam dictam à Britannico Cæsare, aut herba britannica. Inepte quoque negas serici usum receptum annis ante Christum 2600, nempe quin tuæ hoc adversatur Chronologiæ, sed in Sinensi calculo, & in antiquo, id est nostro, illud se recte habet.

AD CAPUT XIII.

ADest tandem *Materies, mihi crede, tuis aptissima nugis Deucalion.* Ut ostendas hoc diluvium sive Deucalioneum, sive Noachium, sive aliter appelletur, totam terræ sphæram obruisse, doces primo quid Spiritus sanctus innuere voluerit, quis scopus fuerit Dei, quid Moses toties inculcet; ostendis denique auctoritate asini Madaurensis, qualia maxime loca ament vulpes & ursi, nempe lucos consitos, specus roscidos, & fontes amœnos, qualibus præcipue abundat Nova Zembla & glacialis oceanus. O miseros nautas Batavos, qui nullam arborem, nullos frutices, imo ne muscum quidem, aut vix certe, illic reperire potuerunt! beatos vero ursos, astutissimas vulpes, quæ asino ducente ex Armeniæ montibus per spatiosos Sarmatiæ campos ad istæc devenere viridaria!

Ex

Ex rangiferis, quia illi non nisi in Lapponia & summo septentrione vivere possunt, argumentum capis, etiam Lapponiam & polo vicinas terras diluvio obrutas fuisse. Verum non hoc, sed illud ostendendum tibi fuerat, qui longe adeo extra natale solum progredi, diuque adeo in arca vivere potuerint isti tui rangiferi, si haustu aeris benignioris illico moriantur.

Ut probes, opus Deo non fuisse novas creare aquas ad obruendum totum terrarum orbem, hoc præcipue argumento uteris, *quod in prima creatione tota terra aquis quam altissime fuit obruta.* Parum efficax argumentator mihi videris. In prima creatione, quando omnia pondere agebantur, ac unumquodque elementum situm & locum naturalem servaret, necessario terra ut gravior, ita quoque depressior erat aqua. Quia vero terra perfecte erat sphærica, hinc manifestum quod vel minima aquæ portio sufficiebat, ad totam terræ sphæram contegendam. Hinc quoque est quod Moyses dicat terram fuisse ἀόρατον καὶ ἀκατασκεύαστον, ut recte verterunt Lxx Interpretes, & Josephus. Invisibilis erat quia undique aquis erat obruta: informis vero & indigesta, quia necdum formati erant montes & valles, quas tertio demum die creavit Deus, quando terras jussit eminere, & subsidere maria.

Vel itaque ſtatuere debes, diluvio periiſſe quidquid uſquam eſt montium, quod ſacris literis & experientiæ adverſatur, vel ſtulte admodum argumentaris.

Jam vero etiamſi quis pervolvat quidquid uſquam eſt ineptiarum, non facile tamen inveniat aliquid æque inſulſum, atque illud, quod dicis, non debere mirum videri, quod nonnulli ſcripſerint tempore diluvij pluvias è cœlo ſtellifero & cœli orbibus decidiſſe, nam inquis, *hoc ſingulis diebus videmus accidere; pluviæ ex cœli orbibus decidunt, ac denuo finitis pluviis ad ſedes ſuas revolant.* Profecto etiam pueri ſciunt pluvias è vicinis nubibus cadere. Supra ſexcentos vel ſeptingentos paſſus ad ſummum, jam nullæ uſquam pluviæ. Et tamen ad vulgares phyſicorum libellos remittis. Profecto vix puto aliquem adeo fuiſſe dementem ut tale quid ſcripſerit. Si quis tamen fuerit, aliorum non te abſolvit ſtoliditas.

Quæ ſequuntur eodem capite leviora ſunt umbra ſuberis. Quam ſtultum eſt quod dicis non debere quemquam quærere, quare Deum pœnituerit creaſſe animalia! Quis adeo in Theologia eſt tyro, qui neſciat, animalia ſervitii & muneris loco data eſſe hominibus tanto beneficio indignis, ac proinde juſtam fuiſſe indignationem Dei? Hæc

neſcis

neſcis, bone vir, & tamen vis videri ſemitheologus.

Falleris quoque quum arbitraris, neminem fuiſſe qui dixerit orbem univerſum jam ante diluvium hominibus fuiſſe repletum; hæc enim eſt Præadamitæ ſententia lib. III. cap. I. & alibi.

Inepte etiam dicis pœnam diluvij non ſolis hominibus, ſed etiam beſtiis fuiſſe inflictam. Ubi nullum peccatum, quomodo ibi aliqua poteſt eſſe pœna? Qui accurate loquuntur, non ſic ſenſus ſuos explicant, ſed ii interitum beſtiarum, hominum pœnam fuiſſe ſentiunt. Verum nonne & ego nugas ago, dum ſingula perſequor? Vide, bone vir, dum tales tantaſque promis ineptias, quam male vulgatam defendas opinionem, & quam nihil eorum, quæ à me dicta ſunt, deſtruas. Et tamen paucæ ſunt illæ difficultates quas movi. Profecto ſi animus eſſet, valde te exercerem, & adeo quidem, ut metuam ne pretioſum iſtud tuum cerebellum, etiam abſq; diluvii aquis ſatis ſua ſponte dilutum, prorſus diffluat: præſertim cum in geometricis tam parum te verſatum animadvertam, ut omne punctum in ſuperficie globi, putes eſſe centrum globi. Ipſum enim hoc in collectaneis tuis Geographicis tanquam fundamentum præmittere voluiſti, centrum non eſſe tantum in medio, verum etiam in ſuperficie.

Sed terminum tandem aliquando ſtatuamus, illud ingenue profitentes, nos libenter ut cætera, ita quoque illa, quæ de diluvio diximus, libenter ſubmittere judicio illuſtrium virorum Bocharti, Dallæi, Amyraldi, omniumque adeo theologorum, ac eorum præſertim, qui rationum momenta æqua lance ponderare ſciunt. Viderint illi, num ad convincendos impios, quorum hac in parte rationes longe prævalent proborum argumentis, expediat credere totum orbem habitatum diluvio merſum fuiſſe, non autem inſulas aut terras incognitas. Fatentur theologi libenter ſe ſic credituros, ſi conſtaret animantia & feras non alibi fuiſſe quam ubi fuere homines. Hoc autem cum ſit minime veriſimile, cum jam ab initio creationis, unaquæque terra ſua habuerit animalia, malunt alteram ſequi opinionem. Verum quid obſtat quominus verba illa, quibus Moyſes omnia animalia diluvio periiſſe ſignificat, de omnib. habitati orbis animalibus intelligamus? Nemo eſt qui aliquid noverit, qui non hoc quoq; norit כל plurimis locis in S. Scriptura ita ſtricte accipi, ut non tantũ de toto, ſed etiam de parte aliqua integra accipiatur. Sed & in novi fœderis libris ſæpe vocabulum hoc ita accipitur, ut cum Matth. IV. 8. diabolus è monte ſublimi dicitur Chriſto oſtendiſſe omnia regna mundi, & cum

Lucæ

Lucæ II. I. jussu Cæsaris Augusti census per universum orbem dicitur institutus. An non præstat ita sentire, quam cum Origene & vetustis quibusdam Rabbinis arcæ mensuram in infinitum pene extendere? Secundum Mosem area arcæ continet circiter sesquipedes cubicos 450000. At vero secundũ hos Rabbinos & Origenem area illa fuisset plus quam quater centies millies major. Manifeste enim ex Græcis Origenis verbis, quæpartim omisit, partim male transtulit Ruffinus, hæc mensura conficitur. Profecto multiplicare miracula, id nihil aliud est, quam miracula destruere. Si ut Origenes & Rabbini putarunt, arca longa fuisset cubitos 90000, lata 2500, alta vero 900, singulorum quippe laterum quadrata in longum extendebant, jam fiet Arcæ spatium tam enorme, ut non tantum sufficiat toto animalium generi, sed et iam facillime capere possit omnes quotquot hoc nostro seculo toto terrarum orbe reperiuntur homines & alimenta ad aliquot etiam annos sufficientia. Sed mittamus hæc. Unum hoc antequam desinamus adjiciam, non defuisse omnibus seculis, qui Mosis locum sic, uti nos, sint interpretati. Nam ut Judæos, Scholasticos, ac alios mittam, olim sic sensit Theodorus Mopsuestenus, eumque secutus Theodoretus. Sed & ex Orthodoxis quæstionibus

bus,quæ inter opera Juſtini Martyris exſtant,clare colligi poteſt,multos Chriſtianos olim ſic ſenſiſſe.

Clare quoque Joſephus oſtendit non univerſam terram fuiſſe inundatam, cum dicit εἰς θάλασσαν τὴν ἤπειρον μεθέβαλε, *continentem in mare permutavit*. Ἤπειρος minus eſt quam οἰκουμένη ſive terra habitata. Illam enim in tres ἠπείρους ſive continentes partiuntur veteres, quod notiſſimum. Pro toto vero terrarum orbe nunquam ea vox accipitur.

VAlde metui ne in tam copioſa pluvia, quam ex ipſis quoque ſideribus in terram deduxiſti, miſere perires; ſed tu, argumentorum tuorum pondere, ventoſa nempe farcina, haud multum preſſus,feliciter,ut video,enataſti. Tam pulchre toto diluvio tanquam fonte caballino prolutus, velut è ſuggeſtu, primum quidem ratam facis Maſſoretharum editionem, mox aqua & igni interdicis LXX. Interpretibus,dein Theologis & Chronologis modulos & legem præſcribis;tandem ſic prophetiſſas; *Deus deſtruet ſuo tempore opera diaboli,ac eos qui vana perſuaſione antiquitatis excæcati ſunt.* Dein doces quænam ſint opera diaboli, nempe *illa temporum ſpatia, quibus ſacrarum ſcripturarum fidem exuperant gentiles,certum quippe eſſe ea omnia fraude diaboli per Sacerdotes ſuos ac idolorum miniſtros fuiſſe conficta.*

Quamvis parum decenter factum videatur velle Prophetis adverſari,illud tamen diſſimulare non poſſum, mirari me valde,te in componendis gentium æris cum Sacra Chronologia tantopere ſudare, ſi verum ſit omnes Chronologias gentium diabolum habere auctorem. Miror itaque hic bonitatem & ſanctimoniam tuam, quod tanto cum fervore pacem Deum inter & diabolum reducere, ac utriuſque facta reconciliare coneris.Nec dubito quin tibi ſuccedet propoſitum, dummodo calculum Apoſtolicum & Eccleſiaſticum ex officina diaboli prodiiſſe,te vero Prophetam,& ſomnia tua oracula eſſe perſuaſeris.

FINIS.

F659
V971d
2
CO